

THE
WILLIAM R. PERKINS
LIBRARY
OF
DUKE UNIVERSITY



Rare Books

DISSERTATIO

DE

CONCILIORUM

quorumvis

DEFINITIONIBUS


ad examen revocandis.

Petro Allia Auctore ✓

S. AUGUSTINUS lib. 3. adversus
Maximinum Arian. Episc.
cap. 14.

*Sed nunc nec ego Nicenum, nec tu
debes Ariminense tanquam præjudica-
turus proferre Concilium. Nec ego
hujus authoritate, nec tu illius detineris.
Scripturarum authoritatibus non quo-
rumque propriis, sed utrisque commu-
nibus testibus, res cum re, causa cum
causa, ratio cum ratione concertet.*

RBR
A439DI



INDEX CAPITUM.

- CAP. I. *Quo Romani Pontificis Legatos Concilio Niceno secundo praesedisse ex ipsius Synodi Actis probatur.* pag. 7
- CAP. II. *Quo Patres Niceni secundi Concilii se pro Concilio Vniversali habuisse, & definitionem super imaginum cultu edidisse probatur.* P. 11
- CAP. III. *Quo Nicenae secundae Synodi definitiones à Romano Pontifice confirmatas fuisse evincitur.* P. 19
- CAP. IV. *Quo Concilii Niceni secundi definitiones de imaginum cultu, quamlibet à Romano Pontifice confirmatas, non minus contemptas fuisse demonstratur.* p. 26
- CAP. V. *Quo, ex Hadriani I. Papae & Nicenorum Patrum sententia, Caroli Magni & Francofordiensium Patrum iudicio adversus Nicenas definitiones bonum factum adscribitur.* P. 33
- CAP. VI. *Quo, ex Episcoporum Occidentis sententia, posse definitiones Vniversalis Synodi à Romano Pontifice comprobatas expendi ac improbari, non obscure colligitur.* P. 38

CAP. VII. *Quo Orientis & Occidentis
Episcoporum noni seculi consensus expo-
nitur, de Synodorum quarumlibet defini-
tionibus ad examen revocandis.* p. 46

CAP. VIII. *Quo ex gestis paulò post in
Galliis id ipsum quod in superiori capite
comprobatum est colligitur.* p. 54

CAP. IX. *Quo ipsos Romanos Pontifices
Synodum Nicenam secundam inter Oecu-
menicas diu non computasse refertur, &
octavam Vniversalem aequè ac septimam
à Gallis & aliis diu rejectam memoratur.*
p. 62

CAP. X. *Quo plerosque ex iis qui Ni-
cenam secundam Synodum à Romano
Pontifice confirmatam sprevisse aut con-
futasse leguntur, pro Sanctis jam vel ab
ipsa Romana Ecclesia haberi ostenditur.*
p. 68



*DISSERTATIO
QUA FIDELIBUS
jus Conciliorum quorumvis defini-
tiones expendendi, ex veteris Ecclesiæ
sententia, asseritur.*



NOTUM est quàm propudiosè
soleant Romanæ Ecclesiæ
Theologi in Reformatos inve-
hi, quod Tridentini Concilii
definitionibus, quas scilicet Scripturæ
Sacrae & veteris Ecclesiæ traditioni con-
trarias judicant, sese submittere nolue-
rint. Nimirum eo contemptu volunt qui
Romani Pontificis partes fovent, uni-
versam Fidei Christianæ firmitatem om-
nino concuti, quam factam rectamque
permanere impossibile sit, ubi demum
Conciliorum Universalium à Romano
Pontifice confirmatorum nutare cœperit
authoritas atque labascere. *Quanquam*

enim apud eos adhuc incertum sit, quate-
 demum illud Concilium esse deceat, cui
 meritò Universalis nomen possit com-
 petere; tum etiam, num Concilium
 Oecumenicum seorsim à Romano Pon-
 tifice sumptum infallibilitatis, verbo de-
 tur venia, privilegio gaudeat; numve
 Romanus Pontifex absque Concilio Uni-
 versali sit ἀναμάρτητος; haud tamen du-
 bitandum esse existimant, quin ultimum
 controversiarum iudicium, atque adeo
 iudicium infallibile, ita sit penes Conci-
 lium Universale cui Romanus Pontifex
 præbuit consensum, ut illius iudicia pror-
 sus nefas sit ad examen revocare.

Verùm quod super eo tam exerte
 pronuntiant; ut cæcam nimirum, quod
 maximè cupiunt, obedientiam sibi vin-
 dicent; illud est quod veteri Ecclesiæ
 tam fuisse incognitum spondeo, quàm
 quod maximè. Haud jam notare libet,
 Oecumenici Concilii titulum plurimas
 ob causas Tridentino Cœtui nequaquam
 posse tribui. Haud itidem moror non
 aliter olim à Romano Pontifice confir-
 mata fuisse Concilia, quàm à cæteris
 Episcopis qui aberant id fieri consue-
 verat. Liberalius jam lubet agere: Fue-

rit Tridentinum Concilium inter Oecumenica computandum: nec jam in quaestionem vocetur, quod sumunt, fuisse olim in confirmationis Conciliorum negotio penes Romanum Pontificem praeter ceteris Episcopis insigne privilegium: Quaecumque demum fuerit tum Concilium Tridentinum; tum jus Pontificis Romani in Synodorum confirmatione; nostrorum in tuto causa est. Hinc enim certissime constat olim licuisse cujuslibet Synodi, etiam a Romano Pontifice confirmatae, definitiones ad Sacrae Scripturae & traditionis veteris Ecclesiae normam expendere: Illinc vero non minus manifestum est, quod si a praescripta regula abirent ejusmodi definitiones, non modo illis non acquiescere licuit, verum etiam fuerunt cum odio abjiciendae: Quod cum olim licuerit, cur hodie in pari casu minimè liceat, nullus video. *Numquid quod in parte agitur, ut dixit olim Gregorius Papa IV. in Epistola ad Episcopos Regni Francorum, retractari apud universitatem non poterit? Numquid quod apud homines a rectitudine deviantes agitur, apud meliores, recti videlicet tenaces retractari non debet? Aut quod in praesenti*

malitiosè judicatur, Dei judicio retractandum non erit?

Id singulari quopiam exemplo ita palam facere animus est, ut nullus apud eos deinceps futurus sit pudor, eam qui posthac nobis oggerent cantilenam, omnem scilicet Ecclesiasticum ordinem interturbari, si, quod volumus, definitiones Concilii Tridentini à Pontifice Romano confirmati secundùm Scripturarum tramitem traditionémque majorum destruantur & penitus abdicentur.

En factum ex quo cùm illustre sit admodum, quæ olim fuerit super ea quæstione melioris ævi sententia, non operosè colligas. Post varias de Imaginum cultu controversias tandem Irenes & Constantini Imperatoris studio celebrata est Nicena secunda Synodus anno 787. Illi præfederunt Romani Pontificis Legati. Eandem postea confirmavit Romanus Pontifex: Et tamen tùm huic Nicenæ secundæ Synodo post septem annos à Synodo Francofordiensi anathema dictum est; tum illius à plurimis in Occidente Episcopis per longum tempus contempta est authoritas, quorum tamen vel ab ipsis Romanæ com-

munionis hominibus Sanctorum Catalogo nomina ad hunc usque diem adscripta leguntur. Num potest nostrorum Tridentina Synodo sententia magis confirmari, qui Tridentinae Synodi Decretum (Sess. 25. de Sacris Imaginibus) ad formam Decreti Patrum Niceni secundum Concilii, cujus auctoritatem sequitur effectum, palam improbant, ac in cæteris capitibus eam ideo abdicandam esse censent, quod demum veri ac æquissimi limites sit prætergressa.

Id in dubium nemo, quantum arbitrator, poterit revocare, si hæc capita firmè comprobavero.

Unum est, Nicenæ secundæ Synodo præfuisse Legatos Romani Pontificis, ut in Tridentino Concilio factum est. Alterum est, Nicenos Patres se pro Concilio Universalis habuisse, & de Imaginum cultu definitionem edidisse. Tertium est, hujus Concilii definitionem circa Imaginum cultum à Romano Pontifice fuisse confirmatam. Quartum est, nullam aut definitionis à Concilio Niceno secundo factæ, aut confirmationis Pontificiæ quæ accesserat, à Francis, Germanis, Italis, Anglis, tum temporis

ac deinceps habitam fuisse rationem, quia scilicet Nicenis Patribus violatam Dei legem fuisse creditum est. Quintum denique est, non minus in Orthodoxorum censum relatos fuisse qui Nicenum secundum Concilium, sic à Romano Pontifice confirmatum, aspernati sunt. Singula breviter exequar eo quem mox designavi ordine.



CAPUT PRIMUM.

*Quo Romani Pontificis Legatos Concilio
Niceno secundo præsedisse ex ipsius
Synodi Actis probatur.*

P R I M U M igitur Romani Pontificis Legatos Niceno secundo Concilio præsedisse ipsa testantur Synodi Acta. En qualis fuit Episcoporum ordo, ut Actione prima refertur: *Conveniente Sancta & Univerfali Synodo, idest Petro Archipresbytero Romane Ecclesie, scilicet Apostoli Petri, & Petro Presbytero, Monacho & Abbate Monasterii Sancti Sabæ, retinentibus locum Apostolicæ Sedis Archiepiscopi senioris Romæ Hadriani; Tarasio Archiepiscopo Constantinopoleos, Joanne & Thoma Presbyteris, & Vicariis Apostolicarum Sedium Orientalis Diœceseos.*

Quanti emerent Romanæ Scholæ Theologi, ut in ceteris Conciliis Universalibus sic primo ordine recenserentur Romanæ Sedis Legati! Quàm haud gravatè penes illos præsidendi authoritatem fuisset inde colligere se posse putarent!

Memorable est itidem, quod Actione quintâ iidem Hadriani Papæ I. Legati primi verba faciunt: *Petrus Archipresbyter, & loci servator Sanctissimi Papæ senioris Romæ ex pittacio; Tarasio Constantinopoleos novæ Romæ Patriarchæ, atque omni huic Sanctæ Univerfali Synodo Petrus Archipresbyter.*

Hoc ipsum ex Actione septima, quæ est ultima, possis colligere: *Conveniente Sancta & Universalis Synodo juxta divinam gratiam & pium Imperatorum à Deo electorum Decretum congregata in Nicæa, splendida Metropoli Bithyniæ Provinciæ, hoc est Petro religiosissimo Protopresbytero sanctissimæ Ecclesiæ Romanæ Sancti Petri Apostoli, & Petro religiosissimo Monacho & Praside venerandæ mansionis Sancti Sabæ, agentibus vicem Apostolicæ Sedis, & sanctissimi Episcopi veteris Romæ.*

Denique id efficit Synodica definitio: quippe Romanæ Sedis Legati ipsum ante Tarasium ita subscribunt:

Petrus miseratione divina Protopresbyter sanctissimæ Ecclesiæ Romanæ beati Petri, & locum retinens Hadriani Papæ veteris Romæ, definiens subscripsi.

Petrus indignus Presbyter, & Prasides Sancti Patris nostri Sabæ, & vices agens Hadriani Papæ veteris Romæ, definiens subscripsi.

Tarasius miseratione divina Episcopus Constantinopolis novæ Romæ Patrum dogmatibus insistens, & Catholica Ecclesiæ adherens, definiens subscripsi.

Quid si ex Actis Synodi id minùs possimus comprobare, at non desunt testes, qui nos quid in eo negotio actum sit, edoceant. Id ex Anastasio Bibliothecario discas, qui Præfatione in septimam Synodum ad Joannem Papam VIII. ait: *Præsidente in Vicariis suis beata recordationis prædecessore vestro Hadriano apud Nicæam secundo conveniens sub Irene seu Constantino Imperatoribus celebrata est.*

Id vidit Nilus qui in Libro de Synodis Hadrianum Papam Romæ, per Legatos scilicet, præfuisse Nicenæ secundæ Synodo pronuntiat: *Sancta & Oecumenica*, inquit, *septima Synodus Nicæe secundo habita est, imperantibus Constantino & ejus matre Irene, congregata à sexcentis sexaginta tribus Sanctis Patribus adversus Iconomachos. Præerant huic Hadrianus Papa Romæ, Tarasius Constantinopolis, Politianus (legendum Apollinarius) Alexandria, Theodoretus Antiochiæ, Elias Hierosolymorum.*

Haud me latet Photium in libello de Septem Synodis, & anonymum libelli Synodici à Pappo editi authorem, aliter Niceni secundi Concilii Præsides, quos quinque fuisse perhibet, pro Patriarchalium Sedium numero digerere, & Tarasio primas concedere. Verùm uterque Legatos Romani Pontificis præfuisse minimè negat, imò allèrit exertè. Audi Photium.

Sanctum, inquit, *& Oecumenicum septimum Concilium, Nicæam sibi quoque Bithyniæ civitatem delegit, in qua & antea rectorum dogmatum judicium fuerat. Trecenti & sexaginta septem interfuerunt Episcopi, qui sacræ magnæque phalangis suæ ordinum duces ac præsides constituerunt Tarasium inter Episcopos celeberrimum, & Petrum religiosissimum Protopresbyterum Ecclesiæ Romæ, & alterum Petrum Presbyterum, ipsum quoque & illius mansionis Præfectum Sancti Sabæ; hi Sedis Apostolicæ sortiti sunt locum, Hadriano tunc Pontificiam dignitatem exercente; & Joannem ac Thomam, singulari vivendi ratione celebres, & sacro honore insignes, & totius Orien-*

tis Diœceseos Apostolicarum magnarumque Sedium gubernantes, nempe Apollinaris, Theodoreti & Elia, quorum primus Alexandria, alter Antiochia, tertius Hierosolymorum erat Antistes.

Paria habet Author Libelli Synodici: *Huic enim Nicenæ Synodo præfuerunt præsidentes, Sanctus Tarasius Constantinopolitanus qui Paulo Cyprii successerat, Petrus & Petrus Presbyteri, Hadriani sanctissimi Papæ Romani locum tenentes; Joannes & Thomas Monachi & Presbyteri, Patriarcharum Alexandrini, Antiocheni, Hierosolymitani, Diœceseos Orientis locum tenentes.*

Verùm quid in his operam colloco, cùm Romani Episcopi Legatis hanc passim prærogativam vindicent jamdiu Romanæ Ecclesiæ Scriptores? Id Author Breviarii rerum in septima Synodo gestarum quod ipsi Concilio præponitur, id Baronius in Annalibus, id in Controversiis de Concil. lib. 4. c. 19. Bellarminus; & quis non idem asserit; cùm eò tandem devenerint ut in Conciliis Oecumenicis præsidentiam per Legatos absenti Romano Pontifici, ceu jus proprium, palam deferre neutiquam dubitent?

Fixum igitur ratumque maneat Nicenæ secundæ Synodo præfuisse Romanæ Sedis Legatos, qui si non præfuerint, non ideo irritam nulliusque auctoritatis fuisse futuram Synodum pugno. **Quis** enim nescit non ob id Ephesinam secundam Synodum, quæ *λειτουργία* dicitur, à Leone Papa cassam pronuntiari, quod præsidentiae jus, quo caruerunt Leonis Legati, sibi arrogavisset Dioscorus Alexandrinus? Quid si cum Patriarcha Tarasio ac aliis Legatis Episcoporum Alexandrini, Antiocheni,

& Hierosolymitani præfuisse illos pertendunt Nilus ac Photius, at enim vel inde eos præfuisse optimè colligas, quod primo loco fuit probandum.

CAPUT II.

Quo Patres Niceni secundi Concilii se pro Synodo Vniuersali habuisse, & definitionem super Imaginum cultu edidisse probatur.

AD alterum Caput jam veniendum est, quod duobus constat articulis. Unus est, Synodum Nicenam secundam se pro Oecumenica habuisse, quod tam manifestum est, ut id qui Acta istius Concilii legerit, in dubium nequaquam possit revocare.

Quippe sic Act. I. *Conueniente Sancta & Vniuersali Synodo, quæ per divinam gratiam & piam Sanctionem eorundem Deo confirmatorum Imperatorum congregata est in Nicæensium clara Metropoli Bithyniensium Provincia, idest Petro reuerendissimo Archipresbytero sanctissimæ Romæ, Ecclesiæ scilicet Apostoli Petri, & Petro reuerendissimo Presbytero, Monacho & Abbate venerabilis Monasterii Sancti Sabæ Romæ siti, retinentibus locum Apostolicæ Sedis almi & sanctissimi Archiepiscopi senioris Romæ Hadriani: Tarasio almo & sanctissimo Archiepiscopo magni nominis Constantinopoleos novæ Romæ, Joanne ac Thoma reuerendissimis Presbyteris, Monachis & Vicariis Apostolicarum Sedium Orientalis*

Diæceseos, Agapito Episcopo Casarea Cappadocia, Joanne Episcopo Ephesi.

Sic & in sequentibus: Reverendissimi Episcop. Sicilia Insula dixerunt: Dignum ducimus, & per omnia huic Sanctæ & Vniversali Synodo conueniens esse perspicimus.

Idem titulus seu in Epistolis ad Synodum missis seu in allocutionibus ad illam, seu in Patrum ex quibus Synodus constabat de se loquentium verbis, in singulis Actionibus sexcenties repetitur quod hîc referre, ut minimi esset fructus, maximi verò tædii plenum, omitto. Hæc tantùm Binii ad id argumenti libet afferre: *Id Oecumenicum Concilium fuisse non potest negari, cum Legati Sedis Apostolica primo loco sedentes, & ante alios primùm loquentes, Concilio præsederint, aliique aliarum Sedium Patriarchalium Ecclesiarum in Oriente Legati interfuerunt. Vnde magna cum injuria sacratissimi Concilii Theodorus Studita in Epistola 38. ad Arsenium (quam ob argumentum impium non immeritò velut commentum rejeceris) localem hanc Synodum appellat.*

Qui sequitur articulus, nimirum Nicenam Synodum secundam doctrinam suam de Imaginum cultu Canone sancivisse & sub Anathematis pœna promulgasse, non difficiliùs potest constitui. Scilicet talis est hujus Concilii definitio A&C. septima:

Definitio Sanctæ, magna ac Vniversalis Synodi secundo in Nicea collecta.

Sancta Magna ac Vniversalis Synodus, qua per Dei gratiam, & sanctionem piorum & Christianorum Imperatorum Constantini & Irenes Ma,

ris ejus, congregata est secundo in Nicensium
 clara metropoli Bithyniensium provincia, in san-
 cta Dei Ecclesia, qua cognominatur Sophia,
 receptata traditionem Catholicae Ecclesiae, definiuit
 inferius ordinata. Qui lucem agnitionis suae no-
 bis donavit, & à tenebris idolorum ac insania
 nos redemit, Christus scilicet Deus noster, des-
 sponsata sibi sancta sua Catholica Ecclesia non
 habente maculam seu rugam, hanc se conserva-
 turum promisit, sanctisque discipulis suis asseve-
 rabat, dicens: Vobiscum sum omnibus diebus
 usque ad consummationem saeculi. Porro hanc
 repromissionem non solum illis donavit, sed & no-
 bis qui per eos credidimus in nomine ipsius. Ergo
 donum hoc quidam non cogitantes, à versuto
 inimico volatici quodammodo facti à recta ra-
 tione ceciderunt; traditioni etiam Catholicae Ec-
 clesiae resultantibus intellectu veritatis frustrati
 sunt: Et ut ait proverbialis sermo, in axe agri
 sui erraverunt, & collegerunt manibus suis steri-
 litatem, quia sacrorum monumentorum Deodeci-
 bili ornamento detrahere praesumpserunt; cum
 Sacerdotes quidem dicerentur, non essent autem,
 de quibus Deus per Prophetam clamat: Pastores
 multi corruperunt vineam meam, contaminave-
 runt portionem meam. Sceleratos quippe secuti
 vivos sensibus suis pellectos, calumniati sunt san-
 ctam Christi Dei nostri Ecclesiam, qua ipsi est
 desponsata, & inter sanctum & profanum non
 distinxerunt, imaginem Domini & Sanctorum
 ejus similiter ut statuas diabolicorum idolorum
 nominantes. Propter quod Dominus Deus non fe-
 rens intueri ab hujusmodi peste corrumpi subdi-

tos suos, nos Sacerdotii principes beneplacito su-
 undique convocavit divino zelo ferventes, &
 nutu Constantini & Irenes Imperatorum nostro-
 rum adductos; quatenus deifica Catholica Eccle-
 sia traditio communi decreto recipiat firmitatem.
 Igitur cum omni diligentia perscrutantes & dis-
 cutientes, & in intentionem veritatis sectantes,
 nihil adimimus, nihil addimus, sed omnia que
 Catholica sunt Ecclesia, immutilata servamus
 & sequentes sancta sex Universalia Concilia,
 in primis quod in splendida Nicena Metropoli
 convenit, adhuc etiam & quod post indivini-
 tus conservanda Regia Vrbe collectum est . . .
 . . & ut compendiosè fateamur, omnes ecclesia-
 sticas, siue scripto siue sine scripto sancitas no-
 bis traditiones illibatè servamus: quarum una
 est etiam imaginalis pictura formatio, que histo-
 ria Evangelica prædicationis concinit, ad certi-
 tudinem vera & non secundum phantasiam Dei
 Verbi inhumanationis effecta, & ad similem no-
 bis utilitatem commodè proficiens. Qua namque
 se mutuo indicant, incunctanter etiam mutuas
 habent significationes. His ita se habentibus, re-
 gia quasi continuati semita, sequentesque di-
 vinitus inspiratum Sanctorum Patrum nostrorum
 magisterium & Catholica traditionem Ecclesie,
 (nam Spiritus Sancti hanc esse novimus, qui ni-
 mirum in ipsa inhabitat) Desinimus in omni
 certitudine ac diligentia, sicut figuram preciosa
 ac vivifica crucis, ita venerabiles ac sanctas
 imagines proponendas, tam que de coloribus &
 tessellis, quam que ex alia materia congruenter in
 sanctis Dei Ecclesiis, & sacris vasis, & vesti-

bus, & in parietibus ac tabulis, domibus & viis: tam videlicet imaginem Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi, quàm intemerata Domina nostra Sancta Dei genitricis, honorabiliumque Angelorum, & omnium Sanctorum, simul & almorum virorum. Quanto enim frequentius per imaginalem formationem videntur, tantò qui has contemplantur alacriùs eriguntur ad primitivorum earum memoriam & desiderium, & ad osculum, & ad honorariam his adorationem tribuendam. Non tamen ad veram latriam, quæ secundùm fidem est, quæque solam divinam naturam decet, impartendam: ita ut istis sicuti figuræ præciöse ac vivifica crucis & sanctis evangelii, & reliquis sacris monumentis, incensorum & luminum oblatio ad harum honorem efficiendum exhibeatur, quemadmodum & antiquis piæ consuetudinis erat. Imaginis enim honor ad primitivum transit: & qui adorat imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam. Sic enim robur obtinet Sanctorum Patrum nostrorum doctrina, id est traditio sancta Catholica Ecclesiæ, qua à finibus usque ad fines terræ suscepit Evangelium. Sic Paulum, qui in Christo locutus est, & omnem divinum Apostolicum cætum, & paternam sanctitatem exequimur, tenentes traditiones quas accepimus. Sic triumphales Ecclesiæ propheticè canimus hymnos: Gaude satis filia Sion, prædica filia Jerusalem, jocundare & lætare ex toto corde tuo, abstulit Dominus à te injustitias adversantium tibi: redemit te de manu inimicorum tuorum. Dominus Rex in medio tuo, non videbis mala ultra, & pax in te in tempus æter-

num. Eos ergo qui audent aliter sapere aut docere, aut secundum scelestos hæreticos Ecclesiasticas traditiones spernere, & novitatem quamlibet excogitare, vel projicere aliquid ex his quæ sunt Ecclesiæ deputata, sive Evangelium, sive figuram Crucis, sive imaginalem picturam, sive sanctas Reliquias Martyris; aut excogitare prævè aut astutè ad subvertendum quidquam ex legitimis traditionibus Ecclesiæ Catholice; vel etiam quasi communibus uti sacris vasis, aut venerabilibus monasteriis: Si quidem Episcopi aut Clerici fuerint, deponi precipimus; Monachos autem vel Laicos à communione segregari.

Huic definitioni quam ab iis ordiuntur sanctæ Scripturæ locis, quæ, si Romanæ Scholæ Theologos audis, Ecclesiæ infaillibilitatem in Conciliis repræsentatæ perspicuè privilegium explicant; subjiciuntur subscriptiones; primæ quidem Legatorum Romani Pontificis, tum Tarasii, tum aliorum Vicariorum Sedium Orientalium; ac denique Episcoporum qui Synodo interfuerunt.

Denique ne quis dubitationi locus relictus esse videatur Anathema dicitur aliter sentientibus: *Sancta Synodus exclamavit: Omnes ita credimus; Omnes idipsum sapimus; Omnes consentientes subscripsimus. Hæc est fides Apostolorum, hæc fides patrum, hæc fides Orthodoxorum, hæc fides orbem terrarum firmavit. Credentes in unum Deum in Trinitate laudandum, honorabiles imagines osculamur. Qui sic se non habent, Anathema sint. Qui sic non sentium, procul ab Ecclesia pellantur. Nos antiquam Legislationem Ecclesiæ Catholica sequimur. Nos leges Patrum custodimus.*

*custodimus. Nos eos qui addunt quid, vel adi-
munt, de Ecclesia anathematizamus. Nos sub-
inductam novitatem Christianos accusantium ana-
thematizamus. Nos venerandas imagines recipi-
mus. Nos eos qui sic non se habent anathema-
tismis submittimus. His qui assumunt dicta quæ
à divina Scriptura contra idola proferuntur in
venerabiles imagines, Anathema. His qui non
salutant sanctas & venerabiles imagines, Ana-
thema. His qui vocant sacras imagines idola,
Anathema. His qui dicunt, quia ut ad Deos
Christiani ad imagines accesserunt, Anathema.
His qui communicant scienter iis, qui inju-
riam & contumeliam venerabilibus imaginibus
inferunt, Anathema. His qui dicunt, quia præ-
ter Christum alius eruit nos ab idolis, Anathema.
His qui audent dicere, Catholicam Ecclesiam
aliquando idola recepisse, Anathema.*

Idipsum à Synodo repetitur in litteris quas
relationis in formam ad Irenem & Constantinum
scripsit.

*His ergo, inquit Niceni Patres, sic com-
probatis, veraciter & incunctanter esse coram
Deo acceptum & beneplacitum constat, imagina-
les formationes dispensationis Domini nostri Iesu
Christi, & intemerata Dci genitricis semperque
Virginis Mariae, ac honorabilium Angelorum,
& omnium Sanctorum, adorare & osculari, &
quisquis sic se non habuerit, sed discrepaverit,
vel etiam elanguerit erga venerabilium imagi-
num adorationem, hunc anathematizat Sancta
nostra & Universalis Synodus, quæ munita est
divini Spiritus operatione, ac paternis & Ec-*

cleſtaſticis traditionibus. Porrò Anathema nihil aliud eſt quàm ſeparatio à Deo: ſi enim quidam fuerint altercantes, & contra ea quæ definita ſunt non obediētes in ſtimulos calcitrant, & ſuas ipſorum animas ledunt, Chriſtum offendentes; & Eccleſiæ ipſius calumniis delectati impugnantes veſanè pietatem, utpote priſcorum hæreticorum communicatores & conſentanei & contribules per impietatem.

Paria habet Synodus in Epistoſta Synodica ad Clericos Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ.

Igitur, inquit, nobis in idipſum Sancti Spiritus inſpiratione & cooperatione convenientibus, omnes conſonuimus; & Oriens, Arctus, Occidens & Meſembria in unam unionem concurrimus: & triumphavit ſanctarum Eccleſiarum pacifica ordinatio per alterne opinionis veritatem & fidem, quæ direxit ſemitam pedum noſtrorum: atque per hoc ſtirps hæreſis, quæ ex antiqui hoſtis zizaniis germinavit, eradicata eſt.

Sic demum, ut arbitror, clarè admodum patet Nicenam Synodum ſecundam voluiſſe haberi ſe pro Oecumenica Synodo; id palam pluries ſignificaffe, maximè in ea definitione propter quam coacta eſt, & cui repetitis identidem anathematis fulminibus authoritatem conciliare laboravit. An eorum definitiones Romano Pontifici Hadriano I. & ſequentibus probatæ fuerint, jam eſt accuratè diſpiciendum.



CAPUT III.

Quo Nicenæ secundæ Synodi definitiones à Romano Pontifice confirmatas fuisse evincitur.

Res est obvia, nec magno eget labore. Ac primo quidem notare possum, non opus fuisse, ut Synodum Nicenam secundam confirmaret Hadrianus, ad quam cum accuratis Commonitoriis Legatos miserat. Id disertè fatetur Bellarminus de Conciliis lib. 2. cap. 11. §. *nota duo*; quod si negasset, facilè potuit revinci, tum ex Epistola Hadriani ad Constantinum & Irenem, quam detulerunt Legati ab Hadriano missi; tum ex Epistola ejusdem ad Tarasium Constantinopolitanum Patriarcham. Cum enim utraque in Synodo fuisset lecta, Act. secunda, hæc subjiciuntur.

Vnde Hadrianus Presul senioris Romæ, cum esset particeps eorum qui prædicto testimonio muniri meruerunt, scripsit expressè ac veraciter piis Imperatoribus nostris, atque ad humilitatem nostram; affirmans benè ac optimè se habere antiquam traditionem Ecclesie Catholice. Nam & ipsi nos scrutando Scripturas & syllogisticè approbando, rimati sumus: sic quod confessi sumus, confitemur & confitebimur, consonamus & confirmamus, atque permanebimus in significatione litterarum qua lecte sunt, imaginales descriptiones

suscipientes secundum antiquam Patrum nostrorum traditionem; & has affectuoso amore adoramus tanquam ad nomen Christi Dei, & interemerata Domina Sanctæ Dei genitricis, sanctorumque Angelorum, ac omnium Sanctorum factas, manifestissime in unum solum Deum verum servitutem & fidem nostram ponentes.

Sancta Synodus dixit: Tota sacratissima Synodus ita credit, ita sapit, ita dogmatizat.

Petrus & Petrus Deo amabiles Presbyteri & Legati Apostolica Cathedra dixerunt: Dicat nobis Sancta Synodus, si admittit litteras sanctissimi Papæ senioris Romæ, an non?

Sancta Synodus dixit: Sequimur & suscipimus, & admittimus.

Haud quidem ejusdem generis confirmatio ab Hadriano I. facta est ad Synodi preces & post Concilio finem impositum, qualem factam fuisse post Tridentinum Concilium superiori sæculo legimus. Verum præterquam quod haud iidem eo tempore, qui nuper invaluerunt, mores obtinebant, abundè hunc defectum aliundè possumus refarcire.

Etenim tantum confirmavit ac probavit Nicenam Synodum Hadrianus I. ut etiam illius defensionem in se susciperet. Habetur hodie ad calcem Nicenæ Synodi Hadriani Epistola ad Carolum Magnum de imaginibus qua, ut fertur titulus, *confutantur illi qui Synodum Nicenam secundam oppugnaverunt.*

Hujus porro Epistolæ ad finem hæc habet anima defensione digna. *Ita verò & nos eundem ipsum irreprehensibilem & orthodoxum sensum.*

*Sancti Gregorii Papa sequentes & amplectentes
dudum, Irene & Constantino Imperatoribus pro
sacris imaginibus prædicandis erectione, emisimus
dicentes: Quia in universo mundo, ubi Christia-
nitas est, ipsæ sacre imagines permanentes, ab
omnibus fidelibus honorantur, ut per visibilem
vultum ad invisibilem divinitatis majestatem
mens nostra rapiatur spirituali affectu pro con-
templatione figuratæ imaginis secundum carnem,
quam filius Dei pro nostra salute suscipere di-
gnatus est; eundem Redemptorem nostrum, qui
in cœlis est, adoramus, & in spiritu glorificantes
collaudamus: quoniam, juxta ut scriptum est,
Deus spiritus est; & ob hoc spiritualiter divi-
nitatem ejus adoramus. Nam absit à nobis, ut
ipsas imagines, sicut quidam garriunt, deifice-
mus: sed affectum & dilectionem nostram, quam
in Dei amorem & Sanctorum ejus habemus, om-
nimodo proferimus: & sic divinæ Scripturæ li-
bros, ipsas imagines ob memoriam venerationis
habemus, nostræ fidei puritatem observantes, &
reliqua. Quidquid namque de sanctis Patrum
opusculis aliquantula ibidem exaravimus testi-
monia, in eodem sensu atque tenore, ut præsen-
tem diximus, cum prædecessore nostro sancto Gre-
gorio Papa, eundem sensum fidei tenentes, emis-
imus prædicantes. Illi verò ut nobis missi nostri,
ut videlicet Petrus Archipresbyter sanctæ nostræ
Romane Ecclesiæ, Petrus religiosus Presbyter &
Abbas venerabilis Monasterii Sancti Sabæ viva
voce dixerunt, statim nostras Apostolicas ample-
ctentes syllabas, Concilium fieri jusserunt. Sed ab
hæreticis seditione facta in Sicilia insula missi*

nostri sine responso reversi sunt ; & demum post
 eos mittentes iterum Constantinopolim eos abscon-
 di fecere. Et sic Synodum istam secundum no-
 stram ordinationem fecerunt : & in pristino statu
 sacras & venerandas imagines erexerunt. Et si-
 cut de imaginibus, sancti Gregorii sensum &
 nostrum continebatur ; ita & ipsi in eadem Syno-
 do definitionem confessi sunt, his osculum & ho-
 norabilem salutationem reddidere ; nequaquam
 secundum fidem nostram, veram culturam, qua
 decet soli divina natura. Insuper & Pseudosyl-
 logum illud quod ab hæreticis factum est sub Con-
 stantino hæretico Imperatore anathematizantes,
 cum eorum sequacibus atque complicibus damna-
 verunt ; ad fidem orthodoxam sanctæ Catholicæ
 & Apostolicæ reversi Ecclesiæ, per libellos eo-
 rum fecerunt rectæ fidei confessionem. Et ideò ip-
 sam suscepimus Synodum : nam si eam minime
 recepissimus, & ad suum pristinum vomitum er-
 roris fuissent reversi, quis pro tot millium ani-
 marum Christianorum interitu habuit reddere
 rationem ante terribile tremendum divini judicis
 examen, nisi nos solummodo ? Si enim super
 unum peccatorem pœnitentiam agentem gaudium
 factum est in cœlis, quanto magis de tot milli-
 bus Christianorum, qui sunt ab errore reversi,
 quis non gaudeat ; & cum Psalmista canat :
 Accedite ad eum, & illuminamini, & vultus
 vestri non erubescant, & reliqua ? Nos verò ad-
 huc pro eadem Synodo nullum responsum hæte-
 nus eidem Imperatori reddidimus ; metuentes ne ad
 eorum reverterentur errorem.

Hæc Hadriani Papæ I. habuit, ut arbitror,

ob oculos Bellarminus cùm de Conciliorum auctoritate lib. 2. cap. 8. ait Concilium Nicenum secundum sine controversia à summo Pontifice fuisse approbatum. Nec alia fuit Baronii, Bini, Starovolscii, & aliorum sententia. Quare non sine stupore video clarissimum Petavium Theologicorum Dogmatum de Incarnat. lib. 15. cap. 12. §. 4. ex his verbis, *Nos verò adhuc pro eadem Synodo nullum responsum hætenus eidem Imperatori reddidimus, metuentes ne ad eorum reverterentur errorem*, hæc demum colligere; Indicare Hadrianum se Nicenam illam quidem Synodum approbasse, nondum tamen publico &, ut Jurisconsulti loqui solent, authentico testimonio ratam habuisse, quam posteriora tempora Bullam instituere dicere.

Quò enim cum his verborum officijs tendit Petavius? Qui Nicenam Synodum ab Hadriano confirmatam putat, idque palam dum ad Carolum Magnum scriberet Hadrianus ab illo significatam docet, cur aliquid adhuc magis authenticam somniat! Quodnam, rogo te, magis publicum confirmationis Niceni Concilii edere potuit testimonium?

Fateor Hadrianum ea habere quæ laudat Petavius, sed quæ aliud longè sonant quàm quod illis affingitur. Dolet Hadrianus quod cùm ad Constantinum scripsisset quasdam diœceses, quas Romanæ Ecclesiæ prius subjectas Iconoclastæ Imperatores illi ademerant, restitui sibi flagitans nullum ab eo meruisset responsum. Hinc ait noluisse se ad Imperatorem rescribere, de Synodo scilicet expostulaturum, quæ licet rectam circa ima-

ginum cultum definitionem edidisset, tamen Romanæ Ecclesiæ jura videbatur insuper habuisse. Addit se ea ratione carere ne ad eorum (scilicet Iconoclastarum) reverterentur errorem, quibus metuebatur illarum diœceseon jactura, quas sub Iconoclastis Imperatoribus fuerant adepti. Verùm quid hæc ad Synodi Nicenæ confirmationem quam palam se suscepisse prædicat Hadrianus?

At enim, inquit Petavius, hujus rei illud etiam argumento esse potest, quod Acta Synodi ejusdem ad Carolum misit in Gallias, ac de illis conventum Episcoporum indici præcepit, ut testatur Hincmarus. Nondum ergo pro Oecumenica habendam esse decreverat, quando ad Carolum illius Acta destinavit, & Carolini Operis Author ejusdem Synodi refutationem elucubravit.

Sic ille, solerti ut fuit ingenio, quod prævidebat telum curavit avertere: Verùm dum Charybdim fugit, incidit in Scyllam. Quis enim demum futurus fuit conventus Episcoporum in Gallia scopus post missa Concilii Niceni Acta, quæ se suscepisse & confirmasse Hadrianus pronuntiat? An ut ea expenderent, si minùs recta viderentur, rejectari? Is si fuit Hadriani animus, jam post suum judicium & Synodi definitionem, rem judicatam retractare Gallis permisisse censendus est, quod num Petavio allubeat, jure addubito. Annon ut judicatis in Concilio, & à se postquam nil alienum à Scriptura & veteris Ecclesiæ sententia in Concilio Niceno præscriptum esse advertissent, probatis acquiescerent? Omnino non, quæcumque ab Hadriano in ea causa cum Carolo Magno tanto studio acta sunt, ita suadent, ut

nihil, quantus quantus fuit Petavii conatus, levius fuisse sit pronuntiandum. Quis enim nescit, solenne fuisse ut ad eos qui à Conciliis aberant, Conciliorum Acta transmitterentur, quæ postquam acceperant Synodos cogere mos fuit, & in illis ea expendere, ac confirmare quæ extra suam Diœcesin seu circa fidem seu circa disciplinam erant constituta, non aliter illa quàm post sedulum examen comprobaturi?

Quicquid sit, notat loco supra laudato Bellarminus rursus approbatum fuisse Concilium Nicensem à Leone Papa III. ut patet ex Yvone parte iv. cap. 147. Verùm fallitur Bellarminus: nec enim Leonis III. verba sunt qui Hadriano I. successit, & Carolo Magno fuit æqualis, sed Leonis IX. qui seculo undecimo medio vixit, ni demum per eos qui Iconomachis restiterunt Pontifices Romanos, eos designatos voluerit Bellarminus qui Hadriano I. successerunt, Leonem III. scilicet & subsequentes ad Nicolaum Papam I. cujus in hac causa plurimos labores fuisse maximamque authoritatem jactat Leo IX. ad Michaëlem Cæularium scribens.

Quicquid sit, certissimè, ut arbitror, constat definitionem circa imaginum cultum quæ in Concilio Niceno secundo edita est, ab Hadriano Papa I. fuisse probatam ac confirmatam. Quæ demum fuerit hujus confirmationis Pontificiæ veneratio, quæ authoritas expendere jam est operæpretium.

CAPUT IV.

Quo Concilii Niceni secundi definitiones de imaginum cultu, quamlibet à Romano Pontifice confirmatas, non minùs contemptas fuisse demonstratur.

AC omnino, si Romanenses Theologos audimus, universam Ecclesiam Nicenorum Patrum definitioni, cujus ad *ἀειδίαν* post Romani Pontificis assensum nihil planè defuit, decebat acquiescere. Verùm contrarium penitus contigisse cernimus; Nec diu acquievit Orientis Ecclesia; nec plurimæ in Occiduis partibus Ecclesiæ assensum dedere.

Ac primò quidem tribus quatuorque post Nicenam Synodum annis palam illius definitionem improbavit atque perstrinxit Carolus Magnus, cujus nomen est instar elogii: Quanquam enim non probaverit Iconoclastarum rigorem qui Concilium Constantinopolitanum anno 754. adversus imagines coactum celebraverant, ipse imagines ad ornatum volens servatas; tamen, edito in id volumine quod adhuc extat, acerbis longè Nicenos Patres persequitur, ut qui nequissimè vinum sacri eloquii veneno acuisent. *Eas, inquit, in ornametis Ecclesiæ habere permittentes modis omnibus spernimus adorare.*

*Lib. 4. c. 4.
pag. 479.*

Lib. 2. c. 25.

Quia non adoranda sunt (imagines) duplex illi (de Nicenis Patribus loquitur) deliquium patrare.

perhibentur, sive quia eas adorant, sive quia ut hoc facerent, ab Apostolis sibi traditum esse mentiuntur.

Sic impatienter admodum Nicenorum Patrum impudentiam ferre se significat, quod cum in eadem urbe, quæ olim ὁμοσίου defensores sanctissimos exceperat, conventum haberent, eo nomine sibimet ipsis plaudere fuissent ausi. Longè quippe, *Lib. 4. c. 13. p. 505.* inquit, & ultra quàm dici potest, longè ab illa hæc distat (Synodus) cum illa Ecclesiam Catholicam ab errore reducat, ista è contrario in errorem inducat; illa à periculosissimo Arii naufragio eam depellat, ista eam in adorandarum imaginum naufragium coactè impellat; illa Filium Patri esse consubstantialem & coeternum perdoceat, ista res insensatas adorare percenseat.

Denique cum indignatione illorum anathemata ita exsufflat, ut hunc muctonem nequaquam se formidare omnibus faciat manifestum: *Lib. 3. c. 11.* Tolerabilius, inquit, nobis est ab illis execrari, quàm cum illis res insensatas contra divinarum Scripturarum instituta adorare.

Hæc & plurima ejusdem generis in eo volumine occurrunt, quod à Joanne Tilio Meldensi Episcopo superioris seculi anno 49. editum est. Libri hic est titulus: *In nomine Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, incipit opus illustrissimi & excellentissimi seu spectabilis viri Caroli nutu Dei Regis Francorum, Galliam, Germaniam, Italiamque, sive harum finimarum Provincias Domino opitulante regentis, contra Synodum quæ in partibus Græciæ pro adorandis imaginibus stoliæ sive arroganter gesta est.*

pag. 97.

Hoc autem opus non privato studio se suscepisse, sed ex Episcoporum suorum consilio, sic significat lib. 1. *Quod opus, inquit, aggressi sumus cum cohibentia Sacerdotum, in Regno à Deo nobis concesso Catholicis gregibus Pralatorum, non arrogantia supercilio, sed zelo Dei, & veritatis studio.*

Consent plerique hos Carolinos libros ad Hadrianum I. paulò post fuisse transmissos, quos Epistola quæ adhuc extat, refellere fuerit aggressus, sic telum telo repellens. Verum id Petavio non probatur: vult ille ex Carolinis libris pleraque mutuatos esse Capitularis Authores, quod Romani Engilberti Abbatis operâ transmissum ab Hadriano memoratâ modo ad Carolum Magnum Epistolâ confutatum est. Ut res non videtur alicujus esse momenti, suam Petavio conjecturam non invidemus, modò liceat nobis quæ in eo Capitulari occurrunt plurima, multâ animadversione digna annotare: Illa enim si perpendantur non indiligenter, quod fuerit vetustioris ævi Christianorum judicium de definitionibus Conciliorum quibus Romani Pontificis accessit authoritas, facient manifestum.

f. 924.

Primum igitur parum appositè ad suam sententiam à Nicenis Patribus Scripturæ Sacræ loca adduci liberè pronuntiant Capitularis Authores, quod quia transmisit ad Hadrianum Carolus satis se probasse ostendit. Hæc sunt exempla; *Quomodo intelligendum est*, inquit cap. 20. *quod in Canticis Canticorum scribitur*: Ostende mihi faciem tuam: auditam fac mihi vocem tuam: quoniam vox tua suavis est, & facies tua speciosa. *Quod*

quidem Capitulum illi impudentissime ad imaginum visionem protulerunt.

¶ Sic cap. 21. *Quod non ad adorandas imagines pertineat, quod scriptum: Creavit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam.*

Idem omnino ex capite 22. ex cap. 25. ex cap. 28. & sequentibus aliis colligere est.

Alterum est quod falso Scripturam laudasse arguuntur Niceni Patres ab Authoribus Capitularis ad Adrianum missi: sic enim loquuntur cap. 23. *Quod non ad adorationem imaginum pertineat, nec in nostris codicibus qui ex Hebraïca veritate translati sunt, inveniatur quod illi in sua Synodo dicunt: Jacob suscipiens à filiis vestem talarem labefactam Joseph, osculatus est cum lacrymis, & propriis oculis imposuit.*

Tertium est quod falso traditionem à Nicenis Patribus jactari asserunt Capitularis Authores. Id apprimè patet ex reprehensione 18. *quod nulla Evangelii lectio tradat Iesum ad Abagarum imaginem misisse, ut illi dicunt.* Sic cap. 36. *Quod nunquam ab Apostolis exemplis aut verbis, ut illi garrunt, imagines adorare institutum sit.* Sic etiam cap. 55. hunc habes titulum: *De eo quod Apocryphas & omni derisione dignas nenas suis locutionibus interposuerunt.*

Quartum est quod falso & contra veram sententiam laudari pleraque Veterum testimonia à Nicenis Patribus pugnant Carolini Capitularis Scriptores. En ut cap. 34. genuinum Athanasii sensum corrumpi existimant: *Quod non ita intelligenda sit sententia beati Athanasii Alexandriae urbis Episcopi, ut illi eam intelligendam putant,*

qui hanc ad adorationem imaginum accommodare dicuntur. Idem rectè colligas ex capitibus 34, 35, 37, 44; & aliquot aliis.

Quintum est quod Nicenos Patres ad suam sententiam statuminandam absurdas rationes usurpasse palam pronuntiant. Id notant reprehensione 45. his verbis: *Dementissimum & ratione carens dictum Ioannis Presbyteri Orientalium, in eo quod ait, quoniam non assistente Imperatore imago eius honoratur: non enim inhonoratur: quatenus & nunc dominatore omnium Iesu Christo visibiliter nobis non apparente; (invisibilis enim est carnalibus nostris oculis; sicut enim Deus ubique adest) honorandam eius imaginem, sicuti & in Imperatore, Pater sensit.*

Idem agunt cap. 54. *Quod non ideo adoranda sunt imagines, quod per eas, ut illi dicunt, nonnulla signa demonstrata fuisse videntur, cum tamen non omnes res adorentur, per quas vel in quibus miracula apparent.*

Sextum quod urgetur adversus Nicenos Patres à Capitularis Carolini Authoribus illud est, nimirum perperam eos in Religionis negotio Legendarum fidem sequi quæ planè nulla est. Sic quippe differunt, Reprehensionum ordine repetito cap. 17. *Quod illi libri, Vita Patrum, quorum Authores ignorantur, non prorsus idonei sunt ad testimonia danda, & ad hæc quæ in contentionem veniunt confirmanda.*

Sic & antea cap. 14. Sophronii fidem ita elevant: *Deliramentum errore plenum, quod de retroso quodam dixerunt, qui Dæmoni jurasse, & ipsum juramentum irritum fecisse perhibetur:*

ejus Abbas non mediocriter delirasse dignoscitur; dicens ei commodius esse omnia in civitate lupanaria ingredi, quàm abnegare adorationem imaginis Domini, aut ejus sanctæ Genitricis.

Ultimum annotare libet reprehensionis argumentum quod habent Carolini Capitularis Authores adversus Nicenos Patres: *Quod Theodosius Myrensis Episcopus ridiculosè & pueriliter egerit, qui ut imaginum adorationem adstrueret, somnia Archidiaconi sui in eadem Synodo retulit.*

Hæc sunt præcipua rationum momenta ob quæ tum Carolus Magnus, tum Episcopi quos super ea quæstione consuluit Niceni Concilii auctoritatem penitus spernendam esse existimarunt. Nec enim jam vacat cetera referre quæ Nicenis Patribus à Capitularis Authoribus objiciuntur vitia: hinc adulationem, illinc calumniandi cæcæ libidinem, tum præcipitem temeritatem, & similes animi affectus, qui ut mentem excæcant penitus, ita privilegium infallibilitatis prorsus abjudicant.

Haud alia fuit Britannicæ Episcoporum sententia, quod ab iis quæ eo tempore gesta sunt discas. Ea sic refert Rogerus ab Hoveden parte prima Annalium anno ab Incarnatione Domini 792. *Carolus Rex Francorum misit Synodalem librum ad Britanniam, sibi à Constantinopoli directum: in quo libro, heu proh dolor! multa inconvenientia & veræ fidei contraria, reperta sunt: maximè quod pene omnium Orientalium Doctorum non minus quàm trecentorum vel eò amplius Episcoporum, unanimes assertionem confirmatum, imagines adorari debere: quod omnino Ecclesia Dei execratur. Contra quod scripsit Albinus Epistolam ex autho-*

ritate divina Scripturarum mirabiliter affirmatam, illamque cum eodem libro, ex persona Episcoporum & Principum nostrorum Regi Francorum attulit.

Idipsum habet Simeon Monachus Dunelmensis iisdem verbis. Unde patet in eadem multis post seculis hæsisse Britannos sententia, quæ vetustioris ævi Episcoporum occupat mentes, octavo nimirum seculo terrarum ubivis solemniter satis consensu recepta.

Porro, inquit Christianus Lupus tom. 2. Epistola illa ab Albino seu Alcuino Flacco adversus Synodum ad Caroli Magni preces composita est illud ipsum non modicum volumen, quod Hincmarus Remensis adhuc adolescentulus in Palatio legit. Sunt varia adversus Synodum nostram argumenta, à Carolo Magno ad Adrianum Pontificem missa, ac per eundem Pontificem refutata. Epistola perit; Refutatio, licet mutila, etiamnum extat: De quorum omnium fide vanum est disputare.

Hoc est Lupi iudicium: Verum an illud admittendum sit, dubito. Non modo enim Petavii sententiæ admodum probabili, quam supra retuli, contradicit; verum & Rogeri & Simeonis verbis quæ ipse antea retulerat Lupus, prorsus adversatur. Carolinum opus in Gallia scriptum patet: quid ergo illi commune cum opere in Anglia scripto? Scribit Carolus nomine suo, scripsit Alcuinus Episcoporum Britannicæ nomine. Hæc, ut videtur, admodum invicem distant.

· Censeo, voluisse Lupum imminutos Niceni Concilii hostes; Omnes in unum compingit; Seu
Britanni,

Britanni, seu Galli, seu Germani, unus illi omnes sunt Alcuinus. Argutè proculdubiò & ad suam causam satis compendiosè; quod tamen Lupi inventum si lubeat amplecti, vel inde possimus colligere, quod & innuit satis Rogerus, ea quæ supra ex Capitulari Caroli jussu Romam transmissò momenta rationum adversus Concilium Nicenum à Romano Pontifice licèt confirmatum retulimus, omnibus tum in Britanniiis, tum in Gallis æquè placuisse, atque adeo tum profus ignotum fuisse Concilii Oecumenici à Romano Pontifice confirmati *ἀντιπροσώπων* esse auctoritatem, imo constanti fide ubivis creditum, illius posse expendi definitiones, quæ si orthodoxæ videantur, suscipiendæ sint magnâ animorum veneratione; sin secus se habeant, cum odio & indignatione sint abjiciendæ.

C A P U T V.

Quo ex Hadriani I. Papæ & Nicenorum Patrum sententia Caroli Magni & Francofordiensium Patrum judicio adversus Nicenas definitiones bonum factum adscribitur.

POSSEM hîc gradum sistere, cum manifestum sit quid de Conciliorum auctoritate statuerint plurimi Occidentis Episcopi, quod quàm parum à nostra sententia abludat, nemo non videt. Verùm ut rem magis extra dubitationis aleam ponam, antequam ultra progrediar, tria præstare animus

est, quæ evincunt non falso fundamento innixos seu Capitularis Authores, seu Carolum Magnum, cum de Concilii Oecumenici à Romano Pontifice confirmati sententia iudicium ferre ausi sunt.

Unum est, ante Synodum Nicenam Hadrianum in id plurimum laborasse ut imaginum cultum dogma esse tum Scripturæ Veteris ac Novi Testamenti, tum Ecclesiæ Apostolicæ persuaderet. Qui illius Epistolam ad Constantinum & Irenem Actione secundâ Nicenæ Synodi relatam legerit, hoc illico animadvertet. Hoc sit speciminis vice: *Etiam hoc, Serenissimi Filii, addendum est ad incredulorum satisfactionem, & directionem errantium, quod Deus famulo suo Moyse præcepit dicens (in libro enim Numerorum ita legitur contra pestem quæ in eos irruerat) Fac serpentem & pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, vivet. Fecit ergo Moyse serpentem æneum, & posuit pro signo; quem cum percussi aspicerent, sanabantur. O insania frementium contra fidem & Religionem Christianam, ut asserant non colere aut venerari imagines, in quibus figurata sunt Salvatoris effigies, & ejus Genitricis vel Sanctorum, quorum virtute subsistit Orbis, atque potitur humanum genus salute. Anei serpentis inspectione credimus Israëliticum populum à calamitate injecta liberari, & Christi Domini nostri & Sanctorum effigies aspicientes atque venerantes dubitamus salvari? Absit tali nefariæ temeritati cedere assensum Patrum, priscas sequamur traditiones, & ab eorum doctrina nulla declinemus ratione.*

His varia subjicit testimonia Veterum, Augu-

ftini, Gregorii Nyffeni, Joannis Chryfoftomi, & aliorum tum Orientalis tum Occidentalis Eccleſiæ, quæ ubi retulit, ſic loquitur: *Itaque hæc ipſa, Piſſimi ac tranquilliffimi Domini & Filii, prædicta testimonia Sanctorum Patrum tranſivimus breviter: ſed & divina Scriptura Novi Veteriſque Teſtamenti teſtatur hiſtoria de divini cultus obſervatione, quod ad laudem Dei in Eccleſiis in memoriam pie operationis Dei nunc conſtituta ſunt ſecundum traditionem Sanctorum Patrum. Sed & de ſtatu ſacrarum imaginum etiam à divina Scriptura hiſtoria ſatis promulgata ſunt; quemadmodum in hujus Apoſtolice ſuggeſtionis ſerie à Deo corroborate ſerenitati veſtræ potentia cum omni humilitate & ſinceritate cordis ſtudiimus incitare. Vnde & quod in diverſis & probabilibus Patrum teſtimoniis, qui ipſas ſacras imagines ſtatuerunt; ſubtiliter videri poteſt, ſicut in eorum libris reperimus, veſtra clementiſſima potentia fore ſtudiimus intimandum; deprecantes cum magna cordis dilectione manſuetiſſimam veſtram clementiam, & tanquam præſentialiter humo proſtratus, & veſtris Deo directis veſtigiis provolutus queſo, & coram Deo depoſco & adjuro, ut eaſdem ſacraſſimas imagines in ipſa à Deo conſervata Regia urbe & ceteris Graciæ partibus in priſtinum ſtatum reſtituere & confirmare jubeatis, obſervantes traditionem hujus ſacroſanctæ noſtræ Romanæ Eccleſiæ, abſcipientes ac reſpuentes iniquorum atque hereticorum caliditates: ut in hujus noſtræ ſanctæ Catholica & Apoſtolice ac irreprehenſibilis Romanæ Eccleſiæ ulnis ſuſcipiamini.*

Aut inanem operam sumpsisse censendus est Hadrianus per totum tam longæ Epistolæ decursum, aut id mente imbiberat nullam fore vim ac authoritatem Concilii, ni demum Sacræ Scripturæ decretis & traditioni Ecclesiasticæ responderet ad amussim: quod ut exactè fieret, ex Scriptura argumenta, ex Veterum scriptis, quod agit, testimonia colligere operæpretium fuit.

Alterum est, non in alia fuisse sententia ipsos Nicenos Patres, quippe qui probaverint hanc Hadriani Epistolam.

Joannes sanctissimus Episcopus Ephesi dixit: Sicut honorabiles Littere Sanctissimi Papæ Romani continent, ita credo, & ita confiteor gratia Christi veri Dei nostri. Constantinus sanctissimus Episcopus Constantiæ Cypri dixit: Modis omnibus lectæ suggestioni, quæ ad Dominos nostros bonos ab Hadriano sanctissimo Papa Romano missa est, necnon & Epistola quæ ad Sanctissimum Patriarcham directæ est, consentio & ita confiteor, atque cum hac fide proficiscar ad tribunal Christi veri Dei nostri. Basilius sanctissimus Episcopus Ancyra dixit: Quemadmodum continent Littere Sanctissimi Hadriani Papæ senioris Romæ, & sensus sanctissimi Patris nostri ac universalis Patriarchæ, sic sapio, sic teneo, & ita docebo, & cum hoc sensu uno meo etiam in futurum seculum proficiscar.

Ad eundem modum ceteri tum Litteras Hadriani, tum illius methodum probare se profitentur.

Quid quod Actione quartâ & quintâ in id unum laborant, ut imaginum cultum secundùm quod

prius fecerat Hadrianus, tum Scripturæ Sanctæ, tum venerandæ veteris Ecclesiæ traditionis auctoritate (sultum esse, adductis quamplurimis tum argumentis, tum testimoniis, comprobent.

Hæc argumenta & testimonia adhuc extant; quæ quia solida putabant, imaginum cultum sancire se posse Canone, imo debere se existimarunt.

Tertium est, tam altè tum fuisse persuasum quæ argumenta & testimonia proferebantur sola vim habere ac auctoritatem ad venerationem definitioni Concilii cujuscumque conciliandam, ut eam Franci & Angli Niceni Concilii auctoritatem elevaturi ab eo Scripturam totè laudatam, & Veterum traditionem spretam ac proculcatam misso in id Capitulari pugnarent. Ipse Hadrianus contra nec Sacræ Scripturæ nec traditioni contradixisse Nicenos Patres, Capitularis Carolini reprehensiones pro viribus solvens, & quantum potuit repellens, probare conatur.

Equidem omnino mirum est, post finitam, si Deo placet, causam in Niceno Concilio, post confirmationem à se additam, nullibi Hadrianum hac tam compendiosa præscriptione adversus immorigeros Francos & Anglos usum. Qui sit ut nullibi dixerit Capitularis Authoribus respondens, In Synodo Universalis definitio facta est; eam probavi Synodum, illam confirmavi, Causa finita est, Vestrum est acquiescere, nec jam liberum est ultra argumenta Synodi expendere?

Non modo nil simile profert, sed quò solenniùs privilegium, quod jam Sedis Romanæ Episcopis tribui solet ab aliquot annis, penes se non existere profiteatur, Doctoris munere unicè fun-

gitur : Nullum non movet lapidem ut Concilii Niceni iudicium legitimum esse comprobet : Argumenta nequit, loca Veterum profert, objecta solvit ; nil supra communem sortem seu in argumentis conficiendis, seu in testimoniis laudandis, nullam *αἰαπισίαν* jactat ; neutiquam iudicium suum aut Concilii definitionem ab examine immunem esse pronuntiat : Quod tamen tum illum maximè decuit, ubi potissimum retundenda fuit hominum malefani capitis procacitas, quales fuisse Capitularis Authores ad se transmissi, apud Carolum Magnum expostulat.

C A P U T VI.

Quo ex Episcoporum Occidentis sententia posse definitiones Vniversalis Synodi à Romano Pontifice comprobatas expendi ac improbari, non obscure colligitur.

HÆc sunt quæ ante annum 794. gesta sunt, ex quibus abundè quæ sententia esset Episcoporum ac Regum in Occidentis duobus florentissimis Regnis circa authoritatem Conciliorum à Romano Pontifice confirmatorum colligere est. Verùm res longè fiet manifestior, si Ecclesiarum totius fere Occidentis tunc temporis magnam partem Carolo Magno subjecti in unum collectarum sententiam super ea quæstione aperiam.

Atque equidem anno 794. cùm adesset Francofurti ad Mænum Carolus, quæ priùs ex consensu

Episcoporum suæ ditionis ediderat adversus Nicenam secundam Synodum, illa palam comprobata sunt, trecentis circiter Episcopis consentientibus. Titulus Canonis secundi hic est: *Synodus Græcorum de adorandis imaginibus rejecta*. Canon ipse his concipitur verbis: *Allata est in medium questio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut qui imaginibus Sanctorum ita ut deificæ Trinitati servitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui supra sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem & servitutem renuentes contempserunt, atque consentientes condemnarunt.*

Binii, Surii, & aliorum Romanensium qui hoc Canone Nicenam secundam Synodum designari negant, aut, quod est longè absurdius, ipsam confirmari pronuntiant, stupendas hallucinationes hic non moror. Satis illas exsufflarunt Petavius Theologicorum Dogmatum de Incarnat. lib. 12. cap. 15. Cl. Petrus de Marca de Concord. lib. 2. cap. 17. & Christianus Lupus in Scholiis ad hanc Synodum.

Id monere operæpretium arbitror, scilicet quod hic habet *χρησούνηται* Petavius, ne unius quidem assis esse æstimandum. Vult ille Francofordiense Concilium non damnasse ipsam Synodum Nicenam, sed impositam huic falso sententiam, fraude vel inscitia Interpretis intextam Actis Synodi Nicenæ. Idem habet Petrus de Marca loco laudato, quo quid putidius dici unquam potuit.

Etenim, ut jam alia argumenta non congeram quæ à Dallæo τὸ πρῶτο libro 4. de imaginibus fusè

explicata sunt, cui demum suadere Petavius poterit Romani Pontificis Legatos, qui Francofordiensi Concilio aderant, Theophylactum & Stephanum Episcopos, tam fuisse supinæ negligentiae, tantæque adversus suæ Ecclesiæ placita socordiae, ut Interpretis lapsus, qui tam lamentabilis diffidii causa esse potuit, non subinde annotarent, & Concilii Niceni doctrinam fartam & tectam à calumnia qua apud Francofordienses Patres laborabat sic vindicarent?

Optimè id notavit Chr. Lupus: *Falsum est, inquit, Francorum Episcopos ex solo facti errore in nostram Synodum insurrexisse. Errarunt in facto circa Constantini Cypriorum Metropolita suffragium: ac ipsam fidei definitionem sacras imagines non latricè aut dulicè adorari, sed salutariorè duntaxat adorari mandantem, intellexerunt quàm optimè & pertinacissimè refutarunt, tanquam Sancto Gregorio Magno adversam & Patrum suorum Synodo Gentiliacensi. Sacras imagines nec prototyporum causa voluerunt salvari. Et hinc Jonas Aurelianensis ac VValafridus Strabo dicunt nos non esse idololatrias, sed solummodo supersticiosos.* Hæc Lupus in Scholiis ad septimam Synodum cap. 16. p. 1258.

Verum quid super eo argumento Petavium molior refellere? Annon, etiamsi quæcumque in ea causa postulat, illi concesserimus, vel ex eo rectè possimus colligere quod jam quæritur, scilicet immotum fuisse apud Veteres principium, Concilii cujuslibet à Romano Pontifice licet approbati definitiones posse ad examen revocari. Quippe demum seu veram seu falsò creditam Ni-

cenæ Synodi sententiam confutaverint Franco-
fordienſes, hoc perinde eſt; eam ſaltem, quod in
quæſtione verſatur, expenderunt; eam, quod mi-
nimè poſt examen probaretur, de facto confuta-
runt & velut erroneam abjecerunt.

Id habet Author Annal. Francorum qui vixit ad
ann. 808. *Anno, inquit, 795. Paſcha celebratum
eſt in Franconofurt. ibique congregata, Synodus ma-
gna Episcoporum Galliarum, Germanorum, Ita-
lorum, in præſentia jam fati Principis, & Miſ-
ſorum Domini Apoſtolici Hadriani, quorum no-
mina hæc ſunt, Theophilactus & Stephanus Epi-
ſcopi. Tum Pſeudoſynodus Græcorum, quam falſò
ſeptimam vocabant, & pro adorandis imaginibus
fecerant, rejeſta eſt à Pontificibus.*

Idiſum teſtantur alii Annales Francorum ab
anno 741. ad annum 814. *Pſeudoſynodus Græco-
rum, quam falſò ſeptimam vocabant, & pro ado-
randis imaginibus fecerant, rejeſta eſt à Pontifi-
cibus.*

Idiſum incertus Author vitæ Caroli Magni ad
ann. 791. *Pſeudoſynodus Græcorum pro adorandis
imaginibus facta, quam falſò ſeptimam vocabant,
rejeſta eſt à Pontificibus.*

His accedit Eginhardus in Annalibus de geſtis
Caroli Magni Imperatoris anno dccxciv. *Synodus
etiam que ante paucos annos in Conſtantinopoli
ſub Irene & Conſtantino filio ejus congregata, &
ab ipſis non ſolum ſeptima, verumetiam Vniver-
ſalis erat appellata, ut nec ſeptima nec univer-
ſalis haberetur dicereturve, quaſi ſupervacua in
totum ab omnibus abdicata eſt.*

Hincmarus Remenſis Epicoſopus in Opuſc. 55.

capitum; contra Hincmarum Laudunensem cap. 20. *Septima autem apud Græcos vocata Vniuersalis Pseudosynodus, quas quidam confringendas, quidam autem adorandas dicebant: neutra verò pars intellectu sano definiens sine auctoritate Apostolica Sedis, generalis est Synodus in Francia, convocante prefato Imperatore, celebrata; & secundum Scripturarum tramitem, traditionemque majorum, ipsa Græcorum Pseudosynodus destructa est, & penitus abdicata.*

Idem habent Freculphus Lexoviensis, quippe Chronicorum tom. 2. lib. 4. cap. 27. sex tantum Synodos numerat; & Ado Viennensis in Chronicis ætate vi. *Synodus iterum facta contra supradictam heresin (scilicet Felicis Nestorii heresin ab orco revocantis) in Franconofurt. Legatis Apostolica Sedis presidentibus Theophylacto & Stephano Episcopis . . . tum Pseudosynodus quam septimam Græci appellant, pro adorandis imaginibus abdicata penitus.*

Sequitur hos Poëta Saxonicus Arnulpho Imperatori æqualis lib. 3. de gestis Caroli Magni ad ann. 794.

*Annis præterea Synodum non pluribus ante
Constantinopoli celebrari fecit in urbe
Græcorum Princeps, qui Constantinus habebat
Nomen, & ejusdem genitricis Irene vocata,
Et condixerunt, ut septima seu generalis
Appellaretur; sed eam non nomine tali
Dignum Concilium pariter cognoverat istud
Utque supervacuam, spernendam censuit iste.*
Idipsum habet Regino Prumiensis Abbas in Chr.
l. 2. Id Abbas Ursperg. Id Hermannus contractus.

Verum quid plura ejusdem generis proferam testimonia, cum res tam certa sit ut vir clarissimus Petrus de Marca Archiepiscopus Parisiensis de Concordia lib. 2. cap. 17. §. 2. ex tam constanti facto colligi velit, Reges Francorum cum Gallicana Ecclesia eam facultatem sibi arrogasse, ut de Synodis recipiendis vel rejiciendis disceptatio sibi libera esset, præsertim si per Legatos suos rebus gerendis non interfuissent.

Hanc quidem Petri de Marca sententiam explodere se posse putat Christ, Lupus in Scholiis ad septimam Synodum, eam facultatem Gallicanæ Ecclesiæ prorsus abjudicans, quam Petrus de Marca illi tribuit, & fundamenta quæ sibi sumit Petrus de Marca pro viribus evertens. Verum tam factum ipse non negat, scilicet rejectam esse Nicenam Synodum à Francofordiensi, ut ejus facti aliam rationem longè congruentiorem promere se posse putet.

Questio est, inquit, qua fronte hi Episcopi præsumpserint Synodum à Sede Apostolica confirmatam damnare? Tum post rejectam Petri de Marca sententiam, ex qua omnino sequitur, nullam esse Synodi Oecumenicæ etiam à Romano Pontifice probatæ autoritatem, nisi ab illa veram fidem definitam constet, quod nonnisi examine facto percipi potest; Ad propositam questionem, subjicit, Respondet Thegani Chronicon dicens istorum temporum Episcopos Francos fuisse passim imperitos, rusticos, inquietos, servili genere natos, superbissimos, intolerabiles. Ex hisce virtutibus didicerunt rebellare in septimam Synodum ac Sedem Apostolicam.

Aberrat admodum Lupus, dum ad illos Episcopos qui Nicenam Synodum damnarunt, Carolo Magno Rege, ea transfert Thegani verba, quæ de Episcopis adversus Ludovicum Pium anno 835. rebellantibus scripta sunt. At in eo non tantum peccat. Ignorare se fingit quæ per tantum tempus in trium Capitulorum causa gesta sunt. Notum est post quintæ Synodi Universalis confirmationem à Vigilio factam, ab illius communione secessisse plurimos Occidentales. *Africani Episcopi coacto Concilio Vigilium Romanum Episcopum synodaliter à Catholica communione recludunt*, inquit Victor Tunonensis ad annum 20. post Consulatum Basilii. En tibi ad idem argumentum verba Datii Mediolanensis Episcopi in Epistola Legatis Francorum directæ: *Ecce ego, inquit, & pars omnium Sacerdotum, inter quos Ecclesia mea constituta est, id est Gallia, Burgundia, Spania, Liguria, Emilia atque Venetia, contestor quia quicumque in Edicta ista (quæ à Justiniano contra tria Capitula emissæ sunt) consenserit, superscriptarum Provinciarum Pontifices communicatores habere non poterit.*

At Vigilio, qui primum dissenserat, demum assensiente prædictæ trium Capitularium damnationi, tam adversati sunt plerique, ut illum pro prævaricatore habuerint. Concilium itaque quintum, licet ab eo probatum, tam spræum est in Galliis, ut etiam circa septimi seculi medium illius rejecta fuerit autoritas, quatuor tantum annumeratis Conciliis Universalibus, ut à Crodoberto Turonensi Episcopo factum, quod annotavit sapienter Pasch. Quesnel in annot. ad Leonis I. Epist.

Plura possent ejusdem generis ingeri : verum abstineo libens ad Petri de Marca libros Lectorem remittens, qui loco laudato satis diligenter hoc argumentum persequitur. Satis sit consequentiæ Lupi absurditatem revicissè, qui Synodi Oecumenicæ à Romano Pontifice comprobatæ auctoritatem, nonnisi ab imperitis, inquietis, servili genere natis, superbissimis, intolerabilibus Episcopis rejici potuissè existimat : Itane, bone Deus, affecti fuerunt quicumque per tantum tempus, per tot Occidentis Provincias, Synodum quintam generalem à Romano Pontifice probatam pro nulla habuerunt. Bona verba, Vir erudite, ut non cæcam obedientiam Conciliis Universalibus à Romano Pontifice confirmatis præstare didicerant Franci, quod ex illorum judicio de Synodo quinta constat, ita nec sibi jure posse illam præcipi post definitionem septimæ Synodi, quantumvis ab Hadriano comprobatæ, arbitrati sint.

Hæc est sententia quam apud Francos, Germanos, Italos, Britannos communem fuisse Caroli Magni ævo patet clarissimè. Eandem apud Orientales obtinuisse, ac postea apud Francos per plura secula perseverasse jam paucis est aperendum.



CAPUT VII.

*Quo Orientis & Occidentis Episcoporum
noni seculi consensus exponitur de Syno-
dorum quarumlibet definitionibus ad exa-
men revocandis.*

IGITUR ipso quo fato functus est anno, nimi-
rum ann. 814. accurante Leone Armeno Impe-
ratore, tum abjectus est Nicephorus Constantino-
politani Episcopus imaginum cultui favens, & in
illius locum electus Theodotus, tum sub hujus pri-
mordiis Nicenorum Patrum, quas in Epistola ad
Leonem III. Papam, qua fidem pro more exponebat
suam Nicephorus recenter electus, sequi se fuerat
professus, definitionibus & Concilio anathema di-
ctum in Constantinopolitana Ecclesia. Narrat id
fusè Theosterictus Oratione funebri in Nicetam:
Quamquam enim plura admiscet, ad odium in Leo-
nem Imperatorem concitandum accommodata
(quod & à Cedreno factum est & à ceteris adver-
sus Iconoclastas Imperatores, Leonem Isauricum,
Constantinum illius filium, Michaëlem & Theo-
philum;) tamen quid de re tota Lectori prudenti
judicandum sit, non ægrè perspicias, cum potissi-
mum vel ipsis mordacissimis maledicentissimisque
Scriptoribus testibus constet Leonem aberrantes vo-
luisse amicis disputationibus in viam reducere: hujus
curæ tum ipsi meminerunt, referente Baronio ad
annum 814. tum extat hodie publicum monumen-

*Apud Sur.
9. April*

tum à Francisco Combesis Dominicano non ita pridem editum; Fragmentum vitæ Theodori Grapti intelligo, in quo habetur Nicephori collocutio cum Leone Armeno Imperatore, qui fatis indicat se Synodi Nicenæ secundæ non acquiescere definitionibus, quod illas Scripturæ Sacræ vetitas probè nosset. Sic Caroli Magni premebat vestigia Leo Armenus.

Post illius obitum Michaël & Theophilus Imperatores Synodum Nicenam, æquè ac Leo Armenus, & ante illos Carolus Magnus fecerant, rejiciunt, quod ad Ludovicum Caroli filium sic scribunt: *Dilectioni vestræ manifestamus, quia multi de Ecclesiasticis & Laïcis viris alieni ab Apostolicis traditionibus facti, & neque paternos terminos custodientes, facti sunt inventores malarum rerum. Primum quidem honorificas ac vivificas cruces de sacris templis expellebant, & ad eadem loca imagines statuebant, ponebantque lucernas coram eis, simul & incensum adolebant, atque eas in tali honore habebant, sicut honorificum & vivificum lignum, in quo Christus verus Deus noster crucifigi dignatus est propter nostram salutem. Psallebant & adorabant, atque ab eisdem imaginibus auxilium petebant: plerique autem linteamenis easdem imagines circumdabant, & filiorum suorum de baptismatis fonte susceptrices faciebant. Alii religiosum habitum sumere volentes, religiosiores personas postponebant, qui prius comam capitis eorum suscipere solebant, adhibitis imaginibus quasi in sinum earum decidere capillos eorum sinebant. Quidam verò Sacerdotum & Clericorum colores de imaginibus radentes, im-*

miscuerunt oblationibus & vino, & ex hac oblatione post Missarum celebrationem dabant communicare volentibus. Alii corpus Domini in manus imaginum ponebant, unde communicare volentes accipere fecerunt. Nonnulli sprete Ecclesia, in communibus domibus, tabulis imaginum pro altaribus utebantur, & super eas sacrum mysterium celebrabant. Et alia multa his similia illicita, & nostrae Religioni contraria, in Ecclesiis fiebant, quae à doctioribus & sapientioribus viris satis indigna esse videbantur. Pergit de facta Synodo per Leonem Isaurum. Talia ubique communi consilio fieri prohibuerunt, & imagines de humilioribus locis efferri fecerunt, & eas quae in sublimioribus locis posita erant, ut ipsa pictura pro Scriptura haberetur, in suis locis consistere permiserunt, ne ab indoctioribus ac infirmioribus adorarentur, neque eis lucernas accenderent, neque incensum adolerent, prohibuerunt. Quemadmodum & nos nunc sentimus & tenemus abjicientes de Christi Ecclesia eos qui hujusmodi malignis inventionibus student.

Hunc locum descripsi integrum, quo videat Lector quas superstitiones foverit Nicena Synodus, ut pateat quàm rectè damnata ab ipsis Graecis post Irenem e tanta stultitia emergentibus: denique ut hac occasione confutem Bellarmini impudentiam, qui Appendice ad Tractatum de cultu imaginum cap. 2. hæc habet: *Quod verò in extrema Epistola Catholicos reprehendit quod vivificam crucem despiciant, quod imagines ut Deos quosdam adorent, quod eis sacrificia offerant, quod ab eis nescio quo artificio de sacro fonte suscipi,*

cipi, & sacram communionem percipere velint: denique quod alias id genus superstitiones vel ineptias in cultu saerarum imaginum ostendant, mera calumnia atque impostura sunt. Neque mirabitur ejusmodi mendacia Græcum Imperatorem in sua Epistola ad Latinos longè positos scribere potuisse, qui cogitare voluerit, quàm crassa & quàm incredibilia mendacia nostri temporis Hæretici de Catholicis in vicinis locis degentibus fingant.

Bellarminum imitatus est Christianus Lupus: *Schol. ad 7;*
Synod.
 Quo sese ad istius impietatem quasi piè rediisse persuadeat, orthodoxum Regiæ civitatis populum de varia circa sacras imagines superstitione falsò calumniatur. Possit & legitima pietas quid istius vitii in infima plebe habuisse admixtum. At istud solùm, non ipsæ sacra imagines erant eliminande.

At utriusque retunditur audacia ineluctabili responsione, qua quàm sincerè ad Ludovicum à Michaële res transmissæ sunt Orientis, ostendit: scilicet post quatuor adhuc secula iidem propemodum apud Græcos imaginum adoratores obtinebant mores, quos illis exprobrat nono seculo Michaël ad Ludovicum scribens. Testem do oculatum, atque adeo omni exceptione majorem; Pantaleonem, inquam, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, qui in Tractatu contra Græcorum errores anno 1252. Constantinopoli in Ædibus Fr. Prædicatorum scripto hæc habet.

Nam quod in magno Constantini Palatio diligenti- *Tom. 27.*
 simè observatur, hoc Latinos facientes co- *Bibl. Patr.*
 arguunt. In Ecclesia utique dicti Palatii, ubi *P. 610.*

sancta consistunt reliquia, sancta Dei Genitricis, imago post Altare sita quam quodam excellentia privilegio vocant Dominam Domus, statim à capite jejunii in conclavi clauditur usque ad magnum Sabbathum; panno illius porta operiuntur: similiter autem Sancti mantellis, Sanctique Koramidii locos Quadragesima tempore usque ad illud Sabbathum velaminibus tectos custodiunt. Sancta Dei Genitricis imaginem, ut filios parturiat, compellunt, eaque mediante ipsam Domini Matrem ut commater fiat accersunt, hoc modo: Imagini syndonem connectunt, ut baptizatum puerum de manu Sacerdotis ipsa ut commater accipiat. Quam superstitionem à se fieri sermone profitentur. Sed quod imago loquitur aut fidem spondeat pro puero, aut testimonium reddat Baptismi, nisi Deum contemnat, quis audeat asserere? Nullam superstitionis speciem volentes omittere, & veros fratres habentes odio, Sanctos per suas imagines invitos sibi fratres faciunt. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non intuetur neque cognoscit, quomodo diliget? Magis autem ficta & simulata est, & invita fraternitas hujusmodi: Are conducunt Sacerdotem cum in Ecclesia cantatur Missa: funduntur pro execrabili fraternitate preces non exaudiende. Animalis enim est hujusmodi fraternitas, non spiritualis. Cerei ad minus accenduntur duo, & perungitur oleo fictus frater, & sanctam amplectitur imaginem, quam ausus est dicere fratrem, qui homicida esse convincitur, cum fratres suos viventes odio habeat.

Annon, qui sunt humani ingenii mores, in pejus à nono seculo profecerat Orientalis Ecclesia?

Annon lepidè Bellarminus & Christianus Lupus Michaëlem & Theophilum pro calumniatoribus habent, nullo ad Regiam dignitatem habito respectu ?

Ut Regios mores magis venerabatur aut nove-
rat Ludovicus, ita etiam fidem addens Michaëlis
Relationi de Niceni Concilii sequacium supersti-
tione, in Synodo Parisiensi ob eam quæstionem
ann. 824. coacta, Francofordiensium Patrum vesti-
gia secutus est.

Rem totam non melius quàm ipsis Bellarmini
verbis relatis exequi possum. Appendicis autem
cap. 4. *Multis nominibus viri illi* (de Episcopis
Synodi Parisiensis loquitur Bellarminus) *peccasse
videntur, ac primum quidem ante collectionem
satis audacter iudicium sibi de scriptis Apostolicis
desumpserunt, nec solum de Summo Pontifice, sed
etiam Generali Synodo à Pontifice approbata te-
merè judicarunt. In qua re longè superarunt pec-
catum Authoris illius, qui nomine Caroli Magni
librum edidit adversus cultum sacrarum imagi-
num. Ille enim (quod etiam Patres Concilii Fran-
cofordiensis fecerunt) Nicenam Synodum secun-
dam improbavit, quoniam celebratam fuisse exi-
stimavit sine consensu Apostolicæ Sedis. (Quæ su-
prà retulimus quàm falsò id asserat Bellarminus
satis, opinor, ostendunt.) At consiliarii isti Lu-
dovici Imperatoris, quorum scripta discutimus,
fatentur Synodum pro cultu imaginum, id est Ni-
cenam secundam ab Hadriano Summo Pontifice
coactam & probatam; & tamen tum ipsam Syno-
dum, tum Epistolam ejusdem Hadriani ad Con-
stantinum Imperatorem pro cultu imaginum, &*

rursum definitionem ejusdem Synodi ab Hadriano ad Carolum missam examinare, dijudicare; reprehendere non verentur.

- » *Hæc enim sunt ipsorum verba, pag. 19. Primam*
 » *Epistolam Domini Hadriani Papæ, quam pridem*
 » *pro imaginibus erigendis Constantino Imperato-*
 » *ri, & Irene matri ejus ad eorum deprecationem*
 » *in transmarinis partibus direxit, coram nobis legi*
 » *fecimus: & quantum nostræ parvitati res patuit,*
 » *sicut justè reprehendit illos qui imagines Sancto-*
 » *rum temerario ausu in illis partibus confringere,*
 » *& penitus abolere præsumperunt; sic indiscretè*
 » *noscitur fecisse, in eo quod superstitiosè eas ado-*
 » *rari jussit: pro qua etiam causa Synodum congregari præcepit. Et infra pag. 21. de defensione*
 » *Nicænæ Synodi ab Hadriano edita sic loquuntur:*
 » *Per singula capita in illorum excusationem res-*
 » *pondere quæ voluit, non tamen quæ decuit,*
 » *conatus est, &c.*

Sequenti capite refellere conatur Bellarminus rationes quibus usi erant Synodi Parisiensis Episcopi, & testimonia quibus imaginum cultum destruere moliebantur: At vel ea ratione satis comprobatur, quàm parum tum valeret Synodi Nicænæ autoritas, quam scilicet traditioni & Sacræ Scripturæ contrariam pugnabant Galliarum æquè ac Orientis Episcopi.

Memorable est in primis ad eam causam, tum collectionem testimoniorum ex Patribus contra imaginum cultum, ab Halitgario & Amalario Episcopis factam, Romam fuisse transmissam Ludovici Pii imperio; tum Ludovicum Hieremiæ Senonensi & Jonæ Aurelianensi Episcopis dedisse

in mandatis ut Romanum Pontificem Eugenium II. ab errore in quo hærebat, Hadriani vestigia sequens, reducere conarentur.

Primum sic habet in Commonitorio: *Venerunt ad præsentiam nostram Halitgarius Cameracensis, & Amalarius Treverensis, Episcopi, octavo Idus Decembris, deferentes collectiones de libris Sanctorum Patrum, quos in Conventu apud Parisios habito simul positi collegistis, quas etiam coram nobis perlegi fecimus. Et quia placuerunt, & ad id ad quod collectæ sunt, necessarie atque utiles à nobis judicantur, sub omni celeritate censuimus Romam dirigendas.*

Alterum ibidem sic habet: *Quia nos à Pontifice petere volumus licentiam, quatenus has collectiones à Sacerdotibus nostris fieri permetteret, ideò non poterit prætermitti, quin ostendatur quod ex ipsius permissione collectum est. Illud tamen summopere prævidete, ut ea illi de his ostendatis, quæ rationi de imaginibus habenda per omnia conveniant, & quod ipse vel sui rejicere minimè valeant. Sed & vosipsi tam patienter ac modeste sum eo de hac causa disputationem habeatis, ut summopere caveatis, ne nimis ei resistendo eum in aliquam irrevocabilem pertinaciam, id est imperiti seculi locutione, constantiam, incidere compellatis, sed paulatim verbis ejus quasi obsequendo, magis quàm apertè resistendo, ad mensuram quæ de imaginibus retinenda est, eum deducere valeatis. Et ideò potiùs efficere contendatis, ut negotium de quo agitur, ad meliorem quàm ad pejorem statum cum Dei adjutorio perducatis.*

Ex his meridiana, ni fallor, luce clariùs patet

quàm procul ab hodiernorum sententia abessent Franci & Orientales tum Concilium Nicenum secundum culpantes liberè, tum Romanum ipsum Episcopum ut erronem in viam reducere molientes.

CAPUT VIII.

Quo ex gestis paulò post in Galliis id ipsum, quod in superiori Capite comprobatum est, colligitur.

PA T E B I T id ipsum si in ea quæ apud Francos sub Ludovico Pio postea contigerunt, oculos dignemur convertere. Varias ob rationes tum diffamatum est Claudii Taurinensis Episcopi nomen. Id memorat Jonas Aurelianus Episcopus libro 1. de Imagin. *Is Claudius* (verba Jonæ refero) *exortus ex Hispania, per aliquod tempus in Palatio memorati, gloriosissimi ac serenissimi Deoque amabilis Augusti, in officio Presbyteratus militavit. Sed ut aliorum utilitati doctrinã predicationis Evangelica, quæ illi admodum inesse videbatur, consuleret, ipsius piissimi Principis clementia Presul Taurinensis subrogatus est Ecclesiæ. Qui dum super gregem sibi creditum pro viribus superintenderet . . . vidit eum inter cetera quæ emendatione digna gerebat, superstitiosa imo perniciose imaginum adorationi, quæ plurimum nonnulli illarum partium (de Italis loquitur) laborant, ex inolita consuetudine deditum.*

esse. Unde immoderato & indiscreto zelo succensus, non solum picturam sanctarum rerum gestarum, quæ non ad adorandum, sed solummodo, teste beato Gregorio, ad instruendas nescientium mentes, in Ecclesiis suis antiquitus fieri permissa sunt, verum etiam cruces materiales quibus ob honorem & recordationem redemptionis suæ sancta consuevit uti Ecclesia, à cunctis Parochiæ suæ Basilicis dicitur delevisse, evertisse, & penitus abdicasse.

Vides tum Ludovicum Pium, Italis circa imaginum cultum peccantibus, idem quod Pontifici Romano præstare officium habuisse in animo; tam fines præscriptos prætergredientem Claudium Taurinensem hujus ævi Authoribus scribendi ansam præbuisse.

Atque equidem in eum insurrexerunt Theodemirus Abbas, Dungalus Monachus Cœnobii ad fanum Sancti Dionysii, Jonas Aurelianensis Episcopus.

Cùm Theodemiri liber non extet, ad Dungalum venio: Is autem palam se Synodo Francofordiensi acquievit, secundâ Synodo Nicenâ spretâ, omnino significat. Id non obscure colligas ex eo quod habet, in Palatio ante biennium, scilicet anno 824. fuisse decretum nil adorandum divino honore præter Deum, ac imagines Sanctorum non destruendas, ex Gregorio.

De hac igitur, inquit, imaginum pictarum ratione, de qua iste (scilicet Claudius Taurinensis Episcopus) in exordio suo proponit Epistola, inquisitio diligentius ante, ut reor, biennium, apud gloriosissimos & religiosissimos Principes habita est in Palatio: ubi divina Scriptura sanctorum libro-

rum & probatissimorum, qui eos scripserunt, viro-
rum exemplis atque auctoritate, cum quanta &
quali moderatione ac discretione sint habende
inventum, confirmatum, satisque evidenter diffi-
nitum: ut nemo posthac quamvis stolido & obtuso
desipiens sit corde, nec Angelis nec hominibus li-
cet sanctis, nec eorum imaginibus, nec cuiquam
penitus in mundo creatura excusabiliter divinum
possit honorem deferre, nisi soli omnium Creatori
uni Deo, Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.
Neque etiam è contrario aliquis hos prædictos,
hoc est vel sanctos Angelos, vel sanctos homines
aut eorum imagines, vel quicquid in honorem,
laudem & gloriam unius veri & summi Dei fide-
liter componitur, destruere aut delere, despiciere
vel abominari præsumat.

His ea subjicit quæ olim scripserat Sanctus Gre-
gorius Serenum Massiliensem Episcopum corripiens,
& reprehendens quod inconsiderato zelo
succensus Sanctorum imagines sub hac quasi ex-
cusatione ne adorarentur, confregisset: Et quidem
quia eas adorari vetuisses, omnino laudavimus,
inquit Gregorius: fregisse verò reprehendimus.
Aliud est enim picturam adorare, aliud per pictu-
ra historiam quid sit adorandum addiscere. Nam
quod legentibus Scriptura, hoc idiotis præstat pi-
ctura cernentibus, quia in ipsa ignorantes vident
quod sequi debeant, in ipsa legunt qui litteras ne-
sciunt. Vnde & præcipuè Gentibus pro lectione
pictura est: quod magnopere à te qui inter gentes
habitas attendi decuerat, ne dum recto zelo in-
cautè succenderis, ferocibus animis scandalum
generares. Frangi ergo non debuit quod non ad

adorandum in Ecclesiis, sed ad instruendas solummodo mentes fuit nescientium collocatum.

Hæc Dungalus ex Gregorio I. quem sequi se Carolus Magnus & Francofordienses profitentur: hinc quod imagines colerent damnantes Patres Concilii Niceni; inde verò Iconoclastas Græcos redarguentes, quod Serenum Massiliensem Episcopum fractis imaginibus non sine scandalo essent imitati.

Ad Jonam quod spectat, nemo est jam qui non videat per imposturam illius libris titulum præfixum *de cultu imaginum*. Notarunt Bibliothecæ Patrum confarcinatores cautè libros hos Jonæ legendos, quia in ea cum Græcis fuit hæresi, non esse adorandas imagines, sed tamen non frangendas, unde rejiciebant Concilium Nicenum secundum; tum Synodi Parisiensis anni 324. Jonam fuisse antesignanum, quæ quàm acriter in imaginum cultum insurrexerit, res est nemini non notissima.

Certè, ut non omnia in his libris Jonæ notanda describam, tria sunt in illis quæ præterire nequeo. Unum est quod dicit Gallos & Germanos ab adoratione imaginum alienos, & rejicit probum Claudii id illis objicientis. Lib. I. p. 169.

Ille è contrà fraternæ admonitionis impatiens, turbidaque indignatione permotus, non solum in illum (Theodemirum Abbatem) justè se redarguentem, verum etiam in omnes sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ sincerissimos cultores, Galliam Germaniamque incolentes, Christoque Domino devotissimè militantes, & ab imaginum superstitiosa adoratione immunes, diversarum reprehensionum ac vituperationum jacula intorsit,

eosque & idololatria abominatione, & falsa religionis superstitione, & innumeris aliis sceleribus irretitos, sicut textus suarum Litterarum demonstrat, appellare non erubuit.

Alterum est quod paulò post docet Jonas potuisse aliquandiu Italos per ignorantiam in cultu & adoratione imaginum perseverare, quanquam illos ab unitate recessisse non existimet. Hæc sunt illius verba quibus Claudium alloquitur.

Quod si verum est ut omnis Clericalis Ordo Parochia tue relicto cultu divino, pro Deo sordes anathematum colat & adoret; largissimis fidelium lacrymis lugendum & plorandum est, Deique immensa misericordia suppliciter exoranda, ut huiusmodi à salute propria aberrantes, citò resipiscant & ad viam veritatis redeant, eumque, qui jure colendus & adorandus est, colant & adorent. Sed credibile est, quod licet & in cultu & adoratione imaginum ignorantia fallente aliquid temporis insumpserint, nullo tamen pacto ab unitate Fidei Catholica defecisse, & ad idola conversi esse credendi sunt. Vnde constat, quod huiusmodi errorem non tam granditer & indiscretè sordibus anathematum comparare, sed magis temperato usus sermone, ignorantia debuerit deputare.

Tertium est quod cùm plurima ad suam sententiam argumenta è Sacra Scriptura & Veterum testimonia proferat, & objectiones adversantium referat, nusquam tamen aut ab illis objectum memoret impiè sperni Concilium Oecumenicum à Romano Pontifice confirmatum, aut ab Italis jure movendam difficultatem sollicitus sit responsione accommoda præoccupare. Unde autem tam supina

in Italis negligentia, ut quod in causa sua fuit palmarium argumentum, supprimerent? Unde tam stupenda in Gallis, cæteroquin acutissimè, quod eorum clamant opera ad hunc diem existentia, disputantibus incuria, ut objectionem quæ prima occurrit, & jam hodie utramque paginam disputantium implet, non prævenirent?

Jonam sequitur Agobardus Lugdunensis Præsul Opere peculiari in eam causam edito. *Multò autem*, inquit, *his deteriora esse quæ humana & Tom. I. carnalis præsumptio fingit, etiam stulti consen-* pag. 244.
tiant. In quo genere istæ quoque inveniuntur, quas sanctas appellant imagines, non solum sacrilegi ex eo quod divinum cultum operibus manuum suarum exhibent; sed & insipientes, sanctitatem eis quæ sine anima sunt imaginibus tribuendo; nec hoc solum, sed sanctificationem quoque, quam per verbum Dei fieri testatur Apostolus, eis quæ nunquam loquuta sunt simulacris dementer concedendo. Tum post aliqua: Ex quibus manifestè colli- pag. 254.
gitur, quia si serpentem aneum quem Deus fieri præcepit, quoniam errans populus tanquam idolum colere cœpit, Ezechias religiosus Rex cum magna pietatis laude contrivit; multò religiosius Sanctorum imagines, (ipsis quoque Sanctis faventibus, qui ob sui honorem cum divine Religionis contemptu, eas adorari more idolorum indignantissimè ferunt) omni genere contexenda, & usque ad pulverem sunt eradenda, præsertim cum non illas fieri Deus jusserit, sed humanus sensus excogitaverit. Tum in sequentibus: Habuerunt namque pag. 265.
& antiqui Sanctorum imagines vel pictas vel sculptas, sicut etiam superius est ostensum; sed causâ

historia, ad recordandum, non ad colendum, ut verbi gratia, gesta Synodalia, ubi pingebantur Catholici veritate fulti & victores, Hæretici autem pravi dogmatis mendaciis detectis convicti & expulsi ob recordationem firmitatis Catholicae Fidei, juxta morem bellorum tum externorum cum civilium, ad memoriam rei gesta, sicut & in multis locis videmus. Sed nullus antiquorum Catholicorum unquam eas colendas vel adorandas fore existimavit.

Nunc autem error invalescendo tam perspicuus factus est, ut idololatria vel Anthropomorphitarum hæresi propinquum aut simile sit adorare figmenta, & spem in eis habere. At qua hujus erroris causa? Fides de corde ablata, tota fiducia in rebus visibilibus collocata. Sicut autem videntes pictos armatos viros, vel agricultura intentos, sive metentes, vel vindemiantes, seu stantes in navibus pisces & retia jaculantes, necnon venatores venabulis extensis cum canibus capreas cervosque persequentes, nec augmentum exercitus, nec adjutorium annui operis, vel acervos tritici, seu rivulos musti, nec pisces, capreas & sues ab illis nos accepturos speramus; ita quoque si viderimus pennatos Angelos pictos, prædicantes Apostolos, Martyres tormenta patientes, nullum ab imaginibus quas aspiciamus auxilium sperare debemus; quia nec malè possunt facere, nec bene. Rectè nimirum, ob hujusmodi evacuandam superstitionem, ab orthodoxis Patribus definitum est picturas in Ecclesia fieri non debere, ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur.

Concil. Eli-
ber. c. 36.

Hæc Agobardus quem tantùm abest ut Niceni

secundi Concilii à Romano Pontifice confirmati obtriverit authoritas, ut Concilii Illiberitani, cujus memoria pene tum obsoleverat, definitionem, à Romano Pontifice minùs confirmati definitionem, quia Scripturæ & Veterum traditioni conformis erat, longè anteferendam esse pronuntiet.

Agobardum excipit Vvalafridus Strabus de rebus Ecclesiasticis cap. 8. Fatetur ipse Baronijs illum inter Nicenæ secundæ Synodo adversantes censendum, quanquam nescio quid aliud agens illum Concilia quæ pro imaginum cultu antea celebrata fuerant, reticuisse velit. Quasi verò non satis de Nicenæ secundæ Synodi Patribus sententiam his verbis suam expresserit: *Nunc jam de imaginibus & picturis, quibus decus Ecclesiarum augetur, dicenda sunt aliqua; quia & earum varietas nec quodam cultu immoderato colenda est, ut quibusdam stultis videtur; nec iterum speciositas ista est quodam respectu calcanda, ut quidam vanitatis assertores existimant.* Quis non videat illico ut Iconoclastæ vanitatis assertores à Vvalafrido cognominantur, sic Nicenis Patribus stultorum titulum appingi, eorum licet Canones à Romano Pontifice fuissent probati?

Hincmarus Vvalafridum qui anno 894. teste Hepidanno, obiit, sequitur loco quem supra jam retuli, sed quem centies repetere è re sit lectoris: *Tempore, inquit, Caroli Magni iussione Apostolica Sedis Generalis Synodus in Francia celebrata est, & secundum Scripturarum tramitem traditionemque majorum, Grecorum pseudosynodus destructa & pravitas abdicata est.*

Possem hîc eos meritò recensere qui damna-

Ann. 794.
§. 41. 56.

tionem Synodi Nicenæ secundæ descripserunt, & eam describendo se illam probare sat significarunt, quales sunt quotquot Chronica post Adonem Viennensem Episcopum sat multi scripserunt, quorum nonnullos supra cap. vi. memoravi. Ex his enim luce clarius patet non ex impetu quopiam, sed ex judicii maturitate factum, ut quæ Caroli Magni ævo tam vulgaris fuit de Conciliorum definitionibus à Romano Pontifice probatis ad examen revocandis sententia, eadem pluribus Scrip- toribus post nonum seculum placuerit, qui adeo Nicenæ Synodi auctoritatem insuper habuisse leguntur. Majus aliquid videretur esse tentandum, quò huic Dissertationi finis imponatur.

C A P U T IX.

Quo ipsos Romanos Pontifices Synodum Nicenam secundam inter Oecumenicas diu non computasse refertur, & octavam Universalem aequè ac septimam à Gallis & aliis diu rejectam memoratur.

DUO sunt igitur majoris momenti, quæ hîc jam à me præstari posse arbitror. Unum est, tantùm valuisse hanc Francorum repugnantiam, ut quomodo olim in negotio Synodi quintæ Universalis à Vigilio confirmatæ factum legimus, quam in Galliis pro Oecumenica Romani Pontifices qui Vigilio successerunt non ausi sunt obtrudere, ita Hadriani successores de Nicena secunda inter

Oecumenicas computanda dissimulanter, dum ad Gallos scriberent, agere coacti sint.

Fateor Leonem IV. Nicenam secundam Synodum velut authenticam ut aliis sex generalibus appingeretur, in Ecclesia Vaticana curasse. Id asserit Anastasius Bibliothecarius in vita Benedicti Papæ III. Verùm tum Nicolaus I. & cum ipso Romana Synodus ann. 863. habita sex tantùm Synodos Universales numerant: *Authoritate Principum Apostolorum Petri & Pauli, atque venerandorum sex Universalium Conciliorum, omni charitatis officio exutus sit.* Habentur hujus Synodi gesta Epistola 7. Nicolai, ut notat Baronius ann. 863. §. 1.

Eadem ratione locutus est Hadrianus II. Epistola 27. *Nihil audemus, inquit, de his judicare quod possit Niceno Concilio & quinque ceterorum Conciliorum regulis obviare.* Vides quàm altum de Nicena secunda silentium cùm de Universalibus Conciliis loquitur. Sic & Epistola 34. quæ est ad Carolum Calvum, sex tantùm Synodos Universales numerat: *Sed de his, inquit, nihil audemus judicare, quod possit Niceno Concilio & quinque ceterorum Conciliorum regulis, vel decretis nostrorum antecessorum obviare. At de his quod præfati Canones & Decreta decernunt, ipsique cum ipsis unà vobiscum congregati cum nostro spiritu similiter decernimus; & quod statuunt, statuunt, statuimus; & quod judicant, judicamus. Nec in ullo deviantes à tenore canonico, servantes omnibus sua jura Metropolitanis.* An ita locutus sit quod ad Carolum Calvum scriberet, cujus prædecessores Nicenum secundum Concilium re-

jecerant, non imprudens Lector apud se expedit.

Certè notat Anastasius Bibliothecarius in Præfatione ad Joannem Papam qui Hadriano II. immediatè successit, summam fuisse Nicenæ secundæ Synodi oblivionem. Illam quidem ex barbarie Interpretis Latini fluxisse suadere conatur. Ast an ex versione barbara tantus inolescere adversus tam authenticam Synodum contemptus potuit, ut per centum propemodum annos qui hanc abstergeret maculam nullus omnino præter Anastasium fuerit repertus; novæ interpretationis Synodi Nicenæ adornator. *Ex interpretata nuper decessori vestra beatitudinis Hadriano reverenda memoria Papæ sancta octava & Universali Synodo, indecorum & inconveniens arbitratus sum septimam Synodum, quæ præsidente in Vicariis suis beate recordationis prædecessore vestro Hadriano apud Nicæam secundò conveniens sub Irene seu Constantino Imperatoribus celebrata est, non habere Latinos: Nam nulla ratione Octava dicitur vel teneri poterit, ubi Septima non habetur; non quod ante nos minimè fuerit interpretata, sed quod Interpres pene per singula relicto utriusque linguæ idiomate, adeo fuerit verbum è verbo secutus, ut quid in eadem editione intelligatur, aut vix aut nunquam possit adverti, in fastidiumque versa legentium, pene ab omnibus hac pro causa contemnatur. Vnde à quibusdam nec ipsa lætione, ut non dicam transcriptione, digna penitus judicatur. Quod ipse inveniens, nec proprio infirmo corpori parcens, auxiliante Domino, hanc nisus sum interpretari Latinis, indecens & incongruum censens*

sens vestram maximè omnium Ecclesiarum magistram, Romanam videlicet Ecclesiam, eadem Synodo defraudari, cum videam posteriori, id est Octava, magnificentissimè decorari.

Hæc sunt Anastasii ad Joannem VIII. verba, quæ apud minimè rudes lectores satis clara sunt.

Ex his patet quàm meritò dixerit Baronius ad ann. 863. §. 6. posteros Hadriani I. eodem præconio, nempe titulo Oecumenici, eandem Synodum non persecutos. Certè non agrè ex dictis colligas aliquam hujus silentii Pontificum esse rationem, quam subticuit Baronius; genuinam aperuisse me arbitror.

Alterum est, quod cum ann. 869. habita sit Constantinopoli altera Synodus quæ Oecumenica à plurimis dicitur, & in qua circa imagines idem quod ann. 787. in Nicena secunda statutum fuit; (etenim suprâ retuli quàm sub præstantissimi Imperatoris Theophili tempore nulla fuerit auctoritas Nicenæ secundæ Synodi inter Græcos sapientiores) haud magis auctoritatem apud Francos obtinuerit, licet a Pontifice Romano Hadriano II. fuerit confirmata. Lepidum est si hinc perpendatur quod habet Synodi hujus octavæ Breviarium, quod extat in editione Binii. *Omnia, inquit, Synodi octava Oecumenicæ Decreta firmissimè custodienda sunt. Nam si hæc Synodus violetur, nullus Rome aut Constantinopoli Sacerdos legitimus reperietur.* Illinc verò quàm parum nostris Francis probata sit hæc Synodus.

En ut de hac Synodo loquatur Monachus Aimoini Continuator: *In qua Synodo, inquit, de adorandis imaginibus aliter quàm orthodoxi Do-*

Aimoini lib. 5. cap. 28.

ētores antè definiuerant, statuerunt, quedam etiam pro favore Romani Pontificis, qui eorum voto de de adorandis imaginibus annuit, & quedam contra antiquos Canones, & contra ipsam suam Synodum constituerunt, sicut qui eandem Synodum legerit, patenter inueniet.

Hæc eadem habent Annales Bertiniani, ex quibus sua decerpit Aimoini continuator.

Tom. 3 Hist. Franc. p. 336. Atque equidem in hac ipsa, non obstantibus definitionibus septimæ & octavæ Synodi hæserunt Franci sententia. Id optimè colligas ex Fragmento Historiæ Francicæ ad Robertum I. Hugonis Capeti filium: postquam enim de Theodulpho Aurelianensi Episcopo verba fecisset, hæc addit: *Illi successit Jonas vir venerabilis, qui contra Claudium Taurinensem Episcopum Hæresiarcham librum de adoranda Cruce edidit. Dogmasabat enim Claudius crucis Dominica signum non oportere adorari, ita, inquiens, si adoratur crux, adorentur & puellæ, quoniam virgo peperit Christum. Adoretur etiam præsepe, quia in præsepi puer reclinatus est Christus. Adorentur & asini, eò quod asinum sedens Ierosolymam venit idem Christus Dominus. Quibus assertionibus catholicè respondit Jonas. Quippe dum Jonam Aurelianensem Episcopum catholicè respondisse Claudio ait, satis ostendit non minus tum, id est ad annum 1030. damnatam fuisse in Gallia Synodum Nicenam secundam, quam Jonas cum ceteris Gallis noni seculi impugnaverat, quam Iconoclastarum Synodum quorum placita Claudius videbatur fuisse secutus.*

Quod de Francis dictum, id de Germanis in-

tellectum itidem velim. Certè Nicetas Choniates Chronicorum lib. 2. apud Armenios non minùs quàm apud Germanos interdictam fuisse adorationem imaginum sacrarum pronuntiat.

Idipsum ad Anglos extendi posse animadvertet quicumque loca superiùs ex Rogero ab Hoveden, & ex Malmesburiensi relata dignabitur expendere.

Nec sanè quantum arbitror res alio fuisset loco posteriori tempore; plures enim inter Scholasticos Doctores Ecclesiæ noni seculi placitis aliquatenus inhærentes legimus: Verùm Albigensibus, Vvaldensibus, & ceteris qui Romanis Pontificibus ad Orbis & Ecclesiæ totius imperium anhelantibus contradicebant, devictis planèque conculcatis, factum est ut Romanus Pontifex nihil non audens, primò quidem ipse in Conciliis, assensu solùm Patribus relicto, leges de Disciplina & Fide figeret; tum si absens esset, ad se omnia ita curaret referri, ut nullius essent, ni illa probaret, ponderis. Hac demum ratione factum est, ut quibus ab omnibus plerumque fuisset contradictum, definitiones in auctoritatem, nullo jam contradicere aut mutire audente quasi Romani Pontificis iudicium esset infallibile, aut infallibilitatem Conciliis tribueret, in Occiduis partibus susceptæ sint atque admittæ.



CAPUT X.

Quo plerisque ex iis qui Nicenam secundam Synodum à Romano Pontifice confirmatam sprevisse aut confutasse leguntur, pro Sanctis jam vel ab ipsa Romana Ecclesia haberi ostenditur.

VERUM manum è tabula ; cui enim hæc satis non erunt, illi nihil satis erit. Cùm igitur jam fixum ratumque maneat, neutiquam apud veteres Orientis & Occidentis Episcopos auditum fuisse Concilium Oecumenicum à Romano Pontifice confirmatum *ἀναμνησίως* privilegio gaudere, cùm, inquam, pateat his per plura deinceps secula creditum esse, non esse nefas tum illius decreta ad Sacræ Scripturæ normam exigere, tum si aberraret cum indignatione abjicere *εἰς κόερας*, ad ultimum hujus Dissertationis caput veniendum est, ne scilicet existiment Romanæ communionis homines, Principes, Episcopos, Presbyteros, Abbates, Clericos, Laicos, quotquot à me laudati sunt eo modo olim habitos, quo perperam vult Lupus audivisse. Patres Francofordiensis Concilii, quos imperitos ait, intolerabiles, fervili genere natos, nullius homines judicii, & prorsus exleges ; quorum adeo rebellio adversus Concilium Oecumenicum à Romano Pontifice approbatum sit merito odio, non verò imitatione prosequenda. Istiusmodi enim hominum judicia non multi facienda concedo libens.

Igitur omnino pronuntio & exertè assero, non minùs orthodoxos habitos fuisse qui Concilium Nicenum secundum à Romano Pontifice confirmatum spreverunt, & ut Fidei contrarium repudiarent, quo in momento causæ nostræ defensio constituta est.

Id ut præstem, nolo Bellarmini fidem imitari, qui Jonam Aurelianensem eximiis ornat elogiis, quod eum pro imaginum cultu scripsisse velit, Jonam Germano Constantinopolitano, Joanni Damasceno, & aliis accensens quos tota mente ut imaginum cultores & superstitionis non ferendæ fautores exagitavit Jonas. Bellarmino satis contradicit ipse Baronius ad annum 794 §. 62. ubi Jonam & Vvalafrium imaginum cultum oppugnasse fatetur.

Nolim sic iis qui sententiam nostram tuentur orthodoxorum & sanctorum elogia appingere, ex uno, ut omnes intelligunt, causæ studio.

Nolo etiam minimi momenti edere conjecturas. Tria sunt quæ ad rem comprobendam satis, ni fallor, idonea adducam.

Unum est, ipsum Hadrianum Romanum Pontificem eos pro orthodoxis habuisse, quum tamen ipsi Anathema dicerent Niceno secundo Concilio ab Hadriano approbato, nec ob id Ecclesiasticâ communionem carere arbitratum esse: qua in re Hadrianum sunt imitati illius successores, mollissimè cum Francis agentes. Id abundè docent tum Hadriani I. ad Synodum Francofordiensem Legati missi, tum infinita hoc ævo à Romanis Pontificibus circa res Ecclesiasticas cum Francis commercia inita, quæ Francos à Romanis Pontificibus

pro excommunicatis & schismaticis non habitos esse comprobant.

Alterum est, ipsos Galliarum Episcopos Romanum Pontificem quem pro errone habebant conatos in viam reducere, adeo parum tum constabat Romano Pontifici infallibilitatis privilegium competere.

Tertium est, pro Sanctis plerosque habitos & post mortem in Ecclesia publico celebratos cultu, quanquam eos ad finem usque Nicenam Synodam secundam ab Hadriano confirmatam rejecisse constaret.

Alcuini Diaconi apud Turones Abbatis qui memoret elogia, dies eum deficiet. Singula strictim prosequor, dum illius inter Sanctos Ordinis Sancti Benedicti nomen legi moneo: ita enim ad decimumquartum Kal. Maii: *Turonis Sancti Alcuini Abbatis & Levite, Ecclesia Doctoris eximii*. Itane ille Sanctus post mortem & Ecclesie Doctor eximius audiit, qui Concilium Universale à Romano Pontifice comprobatum impugnare aggressus est, & illius contemptum ac odium ceteris magno studio inspirare? Imo, res ita se habuit, quod quam parum absque examine Concilia Universalia à Romano Pontifice probata admitienda esse olim creditum sit, ponit in aperto.

Quis nescit in Breviario Parisiensi haberi festum de Sancto Carolo Magno cum novem Lectionibus, quæ licet ex Turpini cænosis laticibus fluxisse, videantur, posterioris ævi fœtus, hac tamen Oratione clauduntur?

Deus qui superabundanti fœcunditate bonitatis tuæ beatum Carolum Imperatorem & Confes-

forem tuum, deposito carnis velamine, beata immortalitatis trabea sublimasti; concede propitius, ut quem ad laudem & gloriam nminis tui honore Imperii exaltasti in terris, pium ac propitium intercessorem habere mereamur in calis. Per Dominum nostrum, &c.

Hæc in Breviario Parisiensi anno 1491. Parisiis edito, quibus paria non dubito quin in Gallia aliis Ecclesiis legantur,

Angilberti Centulensis Abbatis, cujus ministerio usus est Carolus Magnus ut confutationem Nicenæ secundæ Synodi ad Hadrianum transmitteret, non minùs illustris fuit in Ecclesia memoria. En qualiter de illo agat Martyrologium Sanctorum Ordinis Divi Benedicti ad duodecesimum Kal. Martii:

Centula Monasterio Sancti Angilberti Abbatis, generi quondam Caroli Magni.

Insigne est admodum illius Epitaphium, quod legitur in Observationibus Hugonis Menardi ad Martyrologium Benedictini Ordinis. Eas hauserat ex Hariulphi libro primo Historiæ Centulensis, quam consulere Lector potest: ipsam enim edidit non ita pridem D. Lucas d'Acheri in Spicilegio. Hoc etiam illi pingit elogium Nithardus libro 4. Historiæ apud Pithœum: *Eademque die (Nonis Decembris) Angilbertus vir memorabilis Centulo translatus, & anno post decessum ejus vigesimo octavo, corpore absque aromaribus indissoluto, repertus est.* His denique si addas quod cum illius reliquiæ à Gervino primo nominis hujus Abbate Centulensi, sic conquistæ ac tandem inventæ elevarentur, suavis odor omni balsamo fragrantior

totam Ecclesiam perfudisset, ut est in monumentis Centulensibus, in quibus etiam recensentur miracula ad ejus tumulum facta; quis Angilbertum non colligat pro Sancto habitum olim, atque adeo neutiquam pro homine impio, ob spretam & impugnatam Romani Pontificis sententiam, ab Ecclesia penitus alieno atque extorri?

Nihil est, opinor, quod Angilberti sanctitatem suspectam reddere possit, quam illius conjugium dum esset Sacerdos. Verum, ut ait Menardus, *quod Sacerdos uxorem duxerit, in Monasterio hoc peccatum expiavit*. Lepidè omnino. Vix enim arbitror ut quis intelligat, quod illius corpus tot annos post fatum, absque aromatibus indissolutum manserit, eâ factum esse ratione quod foret excommunicatus; quæ scilicet olim Danorum à Romano Pontifice excommunicatorum corpora, post mortem per longum tempus ante absolutionem concessam, neutiquam dissoluta fuisse refert Bzovius in Annalibus ad annum 1254. §. r. 2. Id tum, ut patet, non fuisset Angilberti, sed omnium Francorum, Germanorum, Anglorum, & aliorum commune privilegium, quo tamen illos gavisos esse non legimus, similem licet anathematis ab Hadriano I. & illius successoribus pœnam incurrissent.

Memorat Ludovicus Pius in Commonitorio dato Hieremiæ Archiepiscopo Senonensi & Jonæ Aurelianensi Episcopo, quos Legatos misit Romanam ad Eugenium II. Papam in causa imaginum, Halitgarium Cameracensem Episcopum & Amalarium Trevirensensem Episcopum cum Jona & Hieremia communi operâ Clolectionem adornasse de

libris Sanctorum Patrum. Quanta autem fuerit apud posteros utriusque veneratio & fama quem latere potest?

Ad Amalarium quod spectat, fuit is clarissimus Regulæ Canonorum olim diffamatissimæ anno 816. Scriptor; tum variis quas Ludovici Pii nomine obivit Legationibus illustris factus est. Verùm illius elogia sat nota sunt, cum potissimum notiozem reddiderit nuper vir clariss. Mabillonius tom. 2. Analectorum.

Halitgarium quis non novit Cameracensem Episcopum. Legitur adhuc illius Pœnitentiale, celeberrimum Opus, & in Ecclesia Gallicana usu plurimo receptum.

Ad Jonam venio, qui quàm parum à posterioribus pro hæretico habitus sit, superiori capite factis dictum est.

Agobardus publicè pro Sancto habitus & cultus est, tantùm abest ut Romani Pontificis sententiam illi nocuisse legamus. En quæ Chronicum Sancti Benigni Divionensis à Labbeo editum in nova Bibliotheca mss. Cod. habet ad ann. 840. *Hoc anno sanctæ memoria Agobardus Lugdunensis Episcopus obiit viij. Idus Junii.* Sic in Martyrologio Ecclesiæ Lugdunensis hæc legas: *viij. Idus Junias. Lugduni Agobardi Episcopi & Confessoris.* Vulgo S. Agobo. Non dissimilia laudat clariss. Baluzius ex Martyrologio ms. S. Claudii: *viij. Idus Junii. Depositio beati Agobardi Lugdunensis Episcopi.*

Mitto reliquorum recensere elogia & famam apud posteros celeberrimam. Quotquot enim Episcopi in Galliis, in Germania, in Anglia aliqua

sanctitatis laude floruerunt, quotquot Monachi, Abbates, Laici sub illorum regimine vixerunt, quorum plurimi Sanctorum Catalogo inscripti sunt, hinc essent recensendi. Rem ex se claram, & quæ jam negari nequit, his testimoniis corroborasse satis sit, ut tandem possim legitimè colligere octavo, nono & sequentibus aliquot seculis nulli creditum eos qui Concilium Oecumenicum à Romano Pontifice confirmatum erroris accusassent, & illius rejecissent decreta, illico à Christiani nominis jure excludi.

Atque hinc nemo non facilè colliget, tantùm abest ut multum dolere nos deceat quod qui Tridentinorum Patrum anathematibus confixi sumus, jam Achatolici apud Pontificios audiamus, ut etiam quod validæ rationes non defuerint, propter quas Tridentinæ Synodi decreta abjecimus, spes sit ab ipsis Pontificis Romani partes foventibus, quomodo jam Agobardum, Carolum Magnum, & cæteros licet Synodi secundæ Nicenæ infensissimos hostes, inter Sanctos invocant; ita Luthero, Calvino, & ceteris qui Romani Pontificis, & Conciliorum quæ probavit, decretis intercesserunt, tandem eximios (divinos enim noluerunt creaturis invocationis & adorationis cultus deferri) aliquando honores esse tribuendos.

Scilicet quid magis à Calvino peccatum est, cùm Tridentinæ Synodi decretum, quod Nicenæ secundæ Synodi fidem probat in imaginum negotio, quàm à Carolo Magno qui Nicenam Synodum ut impiam rejecit?

Quid peccant Protestantes præ Episcopis Francofordiensibus, & aliis qui deinceps Ecclesiæ in

Occiduis partibus præfuerunt, cùm idem Nicenæ Synodi decretum circa imaginum cultum æquè refpuunt?

Hæc omnino apud nos eò certiora esse debent, quod non modò Nicenorum Patrum errorem confirmavit auctoritate suâ Tridentina Synodus, atque adeo eorum obruitur damnationibus qui octavo & nono seculo adversùs Nicenam Synodum secundam scripserunt: Verùm tum errores Nicenorum in hoc argumento cumulavit, non modò, ut fatentur ingenuè ipsi Romanæ Communionis Scriptores Polydotus Vergilius de rerum Invent. lib. 5. c. 1. & Ludovicus Vivés ad libri 8. de Civitate Dei caput 27. immensam fovens superstitionum farraginem, sed etiam Dei imagines, quod antea summis imaginum cultoribus impium visum est, efformari sinens: *Severior*, inquit Combefis Dominicanus in Annotat. ad disput. Nicephoricum cum Leone Armeno, *Nicephori sententia in eos qui Dei ullo modo imagines fabricant, quos Gentilium dogmatis socios, extremis dignos suppliciis pronuntiat.* Quid quod alios intolerabiles prorsus errores adjunxit prædicto errori, novam Fidei formulam præter Apostolicam procudit, quinque falsò dicta Sacramenta duobus veris addidit, quæ ad Eucharistiæ celebrationem spectant ita immutavit, ut jam cultus summo Numini debitus tribuatur Eucharistiæ; ut alios ejusmodi abusus fileam. Quæ satis ostendunt quid illis respondendum sit, qui nos culpant quod Romanæ Communioni valedixerimus, cùm tamen illam foverint Franci, Germani, Angli, Synodum Nicenam secundam rejicientes.

Certè tunc temporis licuit Romanorum Pontificum sententiæ contradicere; quod jam minimè licet. Tunc temporis licuit erroris Romanam Ecclesiam accusare, & ipsa Concilia quæ probasset; quod nunc summum esset nefas; ut jam non afferam nefandum Inquisitionis Tribunal, cum quo qui communionem fovet, is omnium cæde Christianorum qui ab Inquisitoribus trucidantur se polluit; quod quis salvâ conscientîâ præstare se putet, cum apud Christianos fixum ratumque sit, non alieno sanguine, sed nostro, firmari fidem Ecclesiæ atque defendi.

FINIS.



